

~~12380~~  
~~Bo 4540~~

1500 383  
No. 12

**DE C. VALERII FLACCI VITA ET CARMINE.**

7685

**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

**ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ALBERTINA  
REGIMONTANA**

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CAPESSENDOS

**DIE XV. MENSIS IANUARIII A. MDCCCXC.**

HORA XI.

UNA CUM THESISIBUS ADIECTIS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**IOANNES PETERS,**

REGIMONTANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOANNES TOLKIEHN, DR. PHIL.


FRIDERICUS MOERNER, STUD. PHIL., SEM. PHIL. SEN.

REGIMONTI.

EX OFFICINA HARTUNGIANA.

MDCCCXC.

Printed in Germany



LUDOVICO JEEP

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.



### De C. Valerii Flacci vita et carmine.

C. Valerii Flacci Argonautica, mendorum omnis generis thesaurum locupletissimum<sup>1</sup> graviter quidem, sed non immerito a Marklando iudicari dilucide ostendit, qui nunc est, status carminis miserrimus. Neque enim quisquam potest dubitare, quin de paucis adhuc illius carminis locis absolutum sit, quamquam permulti viri docti iam nostro poetae curam operamque impenderunt. Quorum e numero primum locum — omitto enim, ne sim longus, veteres Argonauticon editores, velut Heinsium, Burmannum, Wagnerum pro suis quemque viribus optime de Valerio meritum neque laude sua fraudandum — obtinere mihi videtur Georgius Thilo, qui in editione sua critica<sup>1)</sup> quasi fundamentum cuiusvis doctae quaestionis iecit, cum non modo codices ad constituendum textum bene conferret, sed etiam primus, quae de vita et carmine Valerii erui possent, summa cum diligentia ac sagacitate exponeret et examinaret. Itaque consentaneum est non defuisse criticos, qui eum secuti in nostro poeta studia colloca- rent; mirum autem videtur, quod plerique ad textum modo sanandum animos verterint, cum quaestionem de vita et carmine Valerii duo tantum viri docti instituerint

---

1) Halis Saxonum 1863.

Schenkelius et Baehrensium, hic in praefatione editionis suae (Lipsiae 1875), ille in libello, cui inscripsit 'Studia ad Valerii Flacci Argonautica'.<sup>1)</sup> Et cum tales essent illae commentationes, ut unaquaque earum proprium novumque iudicium contineretur, quo factum est, ut tres sententias de vita et carmine Valerii haberemus inter se plane diversas, mihi non supervacaneum esse videbatur, denuo in hanc rem inquirere et excussis singulorum virorum sententiis quaestionem ad finem quam maxime certum deducere.

## I.

1. Atque primum quidem de vita Valerii Flacci quaerentibus nobis magnae existunt difficultates propter veterum testimoniorum penuriam, quae tanta est, ut ne de nominibus quidem poetae certi quidquam constitutum sit. Uno illo testimonio nobis tradito Quintiliani (Inst. orat. X, 1, 91) 'multum in Valerio Flacco nuper amissum esse' querentis duo illa nomina et ex inscriptione codicis Parisini 7647 'Gaius ualerius flaccus in primo argonauticon' praenomine addito tria nomina 'C. Valerius Flaccus' constant. Reliquorum autem, quae inveniuntur in codicibus 'Balbus Setinus', qui sit ordo et quid sibi velint, ambigitur. Uberrime de ea re, quam a Baehrensi fortasse quod cum Thilone consentiret, plane omissam esse doleo, egit Thilo in prolegomenis p. III sqq. Is enim refutata primum sententia Nicolai Heinsii 'Balbi Setini' nomina non Valerii esse putantis, sed philologi cuiusdam, qui eius carmina recensuerit, ipse illa nomina sive adoptione sive hereditate adsumpta esse a Valerio demonstrare conatus est. Neque enim illis iam temporibus plura agnomina

1) Primum prodierunt in Sitzungsber. der Wiener Akademie. Phil.-Hist. Cl. B. 68. p. 271 a. 1871.

apud Romanos usu venisse negandum esse, cuius rei praeter M. Lolli Paulini Valerii Asiatici Saturnini, Valerii aequalis, nunc permulta alia exempla afferre possimus, et unum invenit Thilo locum ubi ‚Setini‘ nomen pro gentilicio positum est.<sup>1)</sup> Qua de causa ordinem nominum, C · VALERIVS · FLACCVS · SETINVS · BALBVS; ut iam ab Italis quinti decimi saeculi constitutus et probatus esset, mutandum non esse censebat.

Sed ego Thilonis argumentis mihi persuasum esse dicere non possum. Unum, quod iam commemoravi, exemplum exstat, quo ‚Setini‘ nomen pro gentilicio usu venisse probatur neque ego, quamvis magnus sit numerus inscriptionum post Thilonis editionem inventarum, aliud illi adserere potui. Plane autem desunt etiam exempla, ubi ‚Setini‘ nomen cognominis loco positum sit. Bene enim scio nullius pretii esse illud exemplum, quod legitur apud Livium (VIII 3, 9): ‚Praetores duo tum Latium habebat, L. Annum Setinum et L. Numisium Circeiensem, ambo ex coloniis Romanis;‘ quia ‚Setinum‘ apud Livium patriae significationem esse plane ex nomine, quod sequitur ‚L. Numisium Circeiensem‘ apparet additis utriusque verbis, ‚ambo ex coloniis Romanis‘.

At mea quidem sententia vis unius exempli, ubi ‚Setini‘ nomen pro gentilicio usurpatum est, non tanta esse videtur, ut ea infringatur auctoritas optimorum codicum, quorum ex subscriptionibus bene patere censeo, qui fuerit Valerii nominum ordo. Optimus enim codex Vaticanus 3277, ubi primam exhibet subscriptionem sub libro altero — deest enim sub libro primo — praebet haec G · VALERI · FLACCI · BALBI · SETINI

1) In tertio volumine collectionis inscriptionum lat. a G. Henzen editae p. 243 inter nomina, in quibus nomen patrium non mutata forma possessivi pro gentilicio assumebatur, exstat ‚P. Setinus Lupercus.‘

EXPL · LIB. II. Reliquae subscriptiones omnes habent nomina: G · VALERI · FLACCI · SETINI, excepta una quinti libri, quae est G · VALERI · FLACCI · SETINI · BALBI, ubi Balbi nomen a librario omissum ultimo loco adscriptum esse videtur. Huc accedit quod in codicibus Ottoboniano 1258. (Thilo proleg. p. LXV) et Vaticano 1653, quos apographa esse codicis Sangallensis olim a Poggio inventi, postea perdit recte probavit Thilo, qui ipsum quoque Sangallensem ex Vaticano descriptum esse putat, invenimus subscriptiones has: GAGI · VALERII · FLACCI BALBI · SETINI · ARGONAVTICON · LIBER · PRIMVS et CAI · VALERII · FLACCI · BALBI · SETINI ARGONAVTICON · LIBER · PRIMVS · INCIPIT · FELICITER. Qua re manifestum est etiam in codice Vaticano eundem ordinem nominum exstitisse, qualem etiam vidimus in subscriptione libri alterius ceterisque, ubi ‚Balbi‘ nomen librarii neglegentia omissum esse videtur. Quae cum ita sint, ego credo nomen poetae fuisse C. VALERIVS · FLACCVS · BALBVS · SETINVS.

Neque vero diiudicaverim, num ‚Setini‘ nomine significetur origo Valerii ex oppido Setia. Quam sententiam olim defenderat Petrus Marcellus Corradinus in libro ‚de civitate et ecclesia Setina‘ Romae an. 1702 prolato et redintegravit nuper Carolus Schenkl in studiis ad Val. Flacc. Argonautica p. 271. Qui cum poetam propter durum dicendi genus non oppido Italico, Setiae (hodie Sezze), sed uni alterive eiusdem nominis oppido Hispaniae Tarraconensis vel Baeticae adtribuendum putaret, multum erravit. Nam omissa ea re, quod ex ipso carmine mihi patere videtur, Valerium primis annis Romam venisse ibique studia ad carmen condendum fecisse, num re vera duritas illa, quam vocat Schenkelius, eius origini tribuenda sit, neque potius rhetoricae cuidam scribendi arti et doctrinae, qua carmen confertum est,

valde dubito. Accuratius in hanc rem nunc inquirere mihi in animo non est, praesertim cum posteriore tempore de Valerii dicendi genere quaerenti mihi satis idonea occasio adfutura sit. Sed iam ad rem redeamus.

Sententiae Corradini et Schenkeli, qui Valerium Setiae natum esse arbitrabantur, repugnare videbantur carmina nonnulla a Martiale data ad Flaccum quendam Patavii natum, quem poetam nostrum fuisse veteres editores omnes putaverunt. Thilonis autem egregia argumentatione (prlg. V. sqq.) nunc demonstratum est, Martialis illum amicum non esse Valerium nostrum posse, et ipse Thilo concessit, si Martialem Valerii consuetudine non usum esse probatum sit, Corradini coniecturam non tam procul abdendam esse, quam adhuc factum sit.<sup>6</sup>

Restat nunc iam, ut videamus, num illis temporibus compluria cognomina apud Romanos usu venerint. Atque accidisse id, etsi non multis exemplis comprobatur, tamen suo iure contendit Aemilius Huebner, inscriptionum latinarum vir peritissimus, in libello, quem scripsit, de epigraphice latina p. 516. (J. Müller. Hdb. d. kl. Alt.) Itaque etiamsi ‚Setino‘ cognomine poetae patriam significari non pro certo affirmaverim, tamen id facile fieri potuisse negare non possum.

2. Transeamus nunc ad quaestionem, quae est de tempore, quo poeta vixerit. De quo multum a viris doctis disputatum esse nemo mirabitur, quia in tanta testimoniorum inopia cuiusvis coniectandi et ratiocinandi libidini latus patet campus. Non tantum mihi sumo et arrogo, ut me quaestionem ad certum finem perducturum esse credam, sed excussis virorum doctorum sententiis, quae ipse quoque nova inveni aut excogitavi addere mihi liceat.

Sed antequam ad rem ipsam accedimus, reiciamus necesse est errorem, in quem incidit Philippus Kohlman-

nus, qui nuper Statii Achilleida et Thebaida edidit. Nam etsi iucundissima fuerat spes novi de Valerio nostro testimonii, tamen facere non possum, quin vehementissime errasse dicam Kohlmannum, qui in indice editionis suae<sup>1)</sup> sub voce ‚Valerius Flaccus‘ ad nostrum poetam rettulit versum Statii in Silv. II. 7. 77:

‚Et qui per freta duxit Argonautas.‘

Constat enim inter omnes id, quod ex conexu antecedentis versus sequentisque, in quibus Lucretius et Ovidius praedicantur, satis apparet, Statium appellasse Varronem Atacinum, cuius de carmine infra (p. 34) plura dicenda erunt.

Itaque restat nobis unum illud Quinctiliani testimonium, qui in Inst. orat. X, 1,90 ‚multum‘, inquit, ‚nuper in Valerio Flacco amisimus‘. Atque cum constet inter viros doctos Quinctilianum opus suum anno 90 confecisse, habemus terminum, ante quem Valerium diem supremum obiisse necesse est. Praeterea autem ex versibus 11—12 prooemii, ubi praedicat poeta res a Tito gestas, elucet eos non posse scriptos esse ante Hierosolyma capta i. e. ante annum 70. Quae cum ita sint, intra annos 70 et 90 poeta noster floruisse dicendus erit.

Consentaneum est plurimos fuisse virorum doctorum conatus, ut annum Valerii mortis accuratius definirent. Ex his artificiosior mihi videtur Carolus Schenkelius. Is enim secutus sententiam fere omnium editorum anno 71 iam primum librum a Valerio recitatum esse putantium, cum poetam ad exemplar Vergili aliorumque poetarum ad singulos libros unius anni spatium usurpasse arbitraretur, Valerium anno 79 mortuum esse contendit. Cui sententia non repugnare illud ‚nuper‘, quod legimus

1) 1879 apud Teubnerum p. 473.

apud Quinctilianum, ipse iam docuit, sed addere potuit ipsius Quinctiliani testimonium, qui paulo post (X, 1,96) narrat, se Caesium Bassum, quem anno 79 Vesuvio ignes evomente interiisse ex scholio ad Persii saturae sextae versum primum sciamus, „nuper“ vidisse. At fugit Schenkelium, Valerii versus IV, 507 sqq.:

„Sic ubi prorupti tonuit cum forte Vesaevi  
Hesperiae letalis apex, vixdum ignea montem,  
torsit hiemps, iamque eas cinis induit urbes,  
referendos esse ad illam Vesuvii eruptionem, quod primum recte statuit Loebachius,<sup>1)</sup> vir de Valerio nostro optime meritus. Quare Schenkeli sententia, qui Valerium anno 79 mortuum esse putavit, caduca est.

Equidem, quo anno mortuus sit poeta diiudicari non posse arbitror, nisi quo tempore coeperit vel ediderit carmen suum Valerius prius quaesiveris. Qua in re auxilio nobis venit prooemium carminis.<sup>2)</sup> Cuius in versibus 12/3 legimus:

1) in programm. Antonnacensi anni 1869.

2) Cum saepius in sequenti parte versus prooemii adferantur cumque eius contextus valde corruptus sit, haut abs re mihi esse videtur paucos illos versus hic describere et quas recepi aut reieci emendationes, fusius explicare, praesertim cum iam minima haec carminis pars ostendat perspicuam corrupti textus imaginem. Atque sunt versus hi (I, 5—21):

- 5 Phoebe, mone, si Cymaeae mihi conscia vatis  
stat casta cortina domo, si laurea digna  
fronte viret. Tuque o, pelagi cui maior aperti  
fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit  
Oceanus Phrygios prius indignatus Iulos,  
10 eripe me populis et habenti nubila terrae,  
sancte pater, veterumque fave veneranda canenti  
facta virum. versam proles tua pandet Idumen  
(namque potest), Solymo ac nigramtem pulvere fratrem  
spargentemque faces et in omni turre furentem.  
15 ille tibi cultusque deum delubraque centum

,versam proles tua pandet Idumen  
(namque potest) Solymo ac nigrantem pulvere fratrem  
spargentemque faces et in omni turri furentem'

instituet, cum iam, genitor, lucebis ab omni  
parte poli. neque enim Tyriis Cynosura carinis  
certior aut Graeis Helice servanda magistris,  
si tu signa dabis; sed te duce Graecia mittet  
20 et Sidon Nilusque rates. nunc nostra serenus,  
orsa iuves, haec ut Latias vox impleat urbes.

Ac primum quidem in versu 11 Baehrensius (praef. XIII) haesit  
in verbis ,veneranda facta virum' se nescire confessus, cur facta  
virorum audiant ,veneranda', quippe quae aliis locis carminis plane  
diverso modo significantur velut III 15 ,infanda proelia' et V,  
217—21. Itaque scribendum proponit: ,sancte pater, veterumque  
fave, venerande, canenti facta virum' adferens locos Valerii VIII,  
181

meminique o Tiphy tuorum  
saxa per illa pater, memini, venerande laborum.  
et auctoris Culicis 21 sq.

Octavi, venerande meis adlabere coeptis  
sancte pater.

Sed oblitus esse videtur vir doctissimus, tales significationes, quales  
protulerit ,infanda proelia' e. c. ad singulas modo expeditionis partes  
pertinere, neque quisquam negare poterit, iure a poeta totam Ar-  
gonautarum navigationem appellari potuisse ,veneranda veterum  
virum facta', praesertim cum dubitem, si re vera digna fuisset illis  
epithetis, quibus Baehrensius eam ornatam fuisse putabat, num a  
tot tantisque poetis celebrata esset. Praeterea equidem censeo  
Valerium illis verbis ,veterum virum veneranda facta' vertisse tantum  
verba exemplaris sui Apollonii I, 1 *παλαγενέων κλέα φέρτον μνήσομαι*.

Versus 12 sqq. in codice Vaticano (V. Thilonis) ita traditi sunt:  
,Versam (versum M. P.) proles tua pandit idymen namque po-  
test (namque potes M. C.). Solymo nigrantem. . .'

Nolo varias huius loci permultum tentati emendationes afferre  
praeter eam, quam plurimi nunc editores receperunt. ,Pandet' pro-  
posuit primus pro ,pandit' Gronovius (in observationum libro IV.,  
12, p. 655, quas edidit Fr. Platner Lipsiae MDCCLV). Ego vero  
semper dubito an retinenda sit lectio Vaticani ,pandit' ita, ut cum  
Valerius primum librum recitaret, iam Domitianum coepisse carmen

unde omnes editores coniecerunt, primum librum a poeta anno 71 recitatum esse Hierosolymis urbe a Tito capta. Nemo negabit Hierosolyma prius deleta esse, quam hi versus scripti sunt. At valde miror, cur iam proximo anno recitationem primi libri adscripserint editores. Nam qui censeant Valerium perficiendo operi praematura morte ereptum esse, putent necesse est, poetae ad tres libros faciendos novem circiter annis opus fuisse, cum in libro quarto inveniamus mentionem factam esse Vesuvii a. 79 ignem vomentis. Quod temporis spatium etiamsi tardissimum fuisse in elaborando carmine fuisse Valerium arbitremur, nimis longum videtur. Baehrensium autem, qui carmen a poeta perfectum esse perpolitumque censet, facere non potest, quin versus illos quarti libri operi iam perfecto additos fingat. Ego vero, qui ipse quoque carmen non temporum vel librariorum culpa sed propter mortem

de bello Judaico putemus; quamquam non ignoro, quanta sit audacia ex codicum nostrorum scriptura talia concludere, qui tam recentis aetatis sint. ,(Namque potest)' uncis inclusit Baptista Pius, ut sit interpositio respiciatque facultatem Domitiani versus scribendi, non tempus, quo Valerius carmen condiderit, quod voluerunt, qui scribendum proponerent ,iamque potest'. Vocabulum ,ac' post ,Solyimo' interiectum, quo tollitur asyndeton intolerabile, debetur Baehrensi. In versu 15 Vaticanus praebet: ,Ille tibi cultusque deum delubraque genti instituet.' Hic Hauptius (Herm. III. 214) egregie coniecit pro verbo ,genti' scribendum esse ,centum'. Utraque enim particula ,que' coniunguntur ,cultus' et ,delubra' ita ut vocabulum ,genti' in medio sit, neque, quo referas, scias. Versus 18 sqq. codices ita exhibent:

,neque enim Tyrias Cynosura carinas  
certior aut Grais Helice servanda magistris  
seu tu signa dabis, seu te duce Graecia mittet  
et Sidon Nilusque rates —'.

In contextu posui hunc locum a Baehrensi emendatum, quem unum rectam restituisse scripturam puto.

Valerii nobis mutilum traditum esse credo, non video causam, cur non compluribus annis post triumphum primi libri recitationem ponamus, praesertim cum post annum 70 nullae res tam praeclare gestae exstiterint, quae memoriam magnae illius victoriae tollere possent. Adde quod credibile non est, poetam in turbulentis temporibus annorum 68 et 69, ubi Italia et ipsius Romae viae caede et sanguine civium maduerunt,<sup>1)</sup> poetae otium fuisse ad studia tanti carminis facienda.

Adductus sum ad sententiam, ut compluribus annis post Hierosolyma capta primum librum recitatum esse putem, potissimum ratiocinatione speciosa, quam de nostro prooemio fecit Jacobus Bernays in libello, quem scripsit de chronicis Sulpicii Severi (Berolini 1861 p. 50). Illam a viris doctis plane neglectam esse nisi quod loco admodum remoto prolata est, nulla re excusatur. Atque apparet inde adhuc omnes, qui definiendo carminis temporis operam dedissent, falsam quaestionis viam intrasse, cum a rebus ab Tito gestis exordium facerent. Recte enim Bernays monuit, prooemium cum non ad Titum sed ad Vespasianum scriptum esset, huius, quae laudantur, rebus gestis ad constituendum carminis tempus nos uti debere. Sed iam virum doctum ipsum audiamus, cuius verba l. c. haec sunt: „Es steht aber die Poesie jenes begabten Dichters (des Valerius) zu dem flavischen Kaiserhause in ebenso naher Beziehung, wie die Historiographie des Josephus; denn nicht bloss gewidmet ist das

1) Illorum temporum rationem habuisse videtur poeta, cum caneret VI, 402 sqq.

Romanas veluti saevissima cum legiones  
Tisiphone regesque movet, quorum agmina pilis,  
Quorum aquilis utrinque micant, eademque parentis  
Rura colunt, idem lectos ex omnibus agris  
Miserat infelix non haec ad proelia Thybris.

Gedicht dem Vespasianus; auch bei der Wahl des Stoffes hat die Absicht vorgewaltet, das glänzende Verdienst des Vespasianus um die Sicherung der römischen Herrschaft in Britannien und die Eröffnung der oceanischen Schifffahrt in dem mythischen Spiegelbilde des durch die Argo eröffneten Pontos zu verherrlichen. Demnach sagen denn auch die einleitenden Verse von jedem der drei Flavier soviel Gutes, als ein gewandter Dichter sagen konnte; am meisten von Vespasianus, der damals den Thron inne hatte und dessen Laufbahn Stoff genug auch für aufrichtiges Lob gewährte; am wenigsten von Domitianus, der damals dem Throne fernstand und ausser thörichten Streichen nur noch Gedichte gemacht hatte; um daher diesen Prinzen nicht mit gänzlichem Stillschweigen zu übergehen, hilft sich Valerius durch eine Hindeutung eben auf seine versificatorischen Launen, indem er ihm als würdigsten Gegenstand seines Gesanges die Thaten seines Bruders Titus empfiehlt. — Quae cum ita sint, manifestum est nobis tempus, quo prooemium scriptum sit, quaerentibus recurrendum esse ad versus I. 6/7.

,Caledonius postquam tua carbasa vexit  
Oceanus Phrygios prius indignatus Iulos‘,

quae verba ad expugnationem Britanniae a Caesare incohatam, ab eius successoribus male propagatam, a Vespasiano denique bonis auspiciis susceptam referenda sunt. Cuius rei testis nobis exstat Tacitus, qui in libro, quem scripsit de Agricolae vita (c. 17): ‚Sed ubi‘, inquit, ‚cum cetero orbe Vespasianus et Britanniam recipaverit, magni duces, egregii exercitus, minuta hostium spes et terrorem statim intulit Petilius Cerialis, Brigantum civitatem aggressus . . .‘ Attuli hunc locum ipsius Taciti verbis expressum quod idem ansam nobis dat investigandi temporis, quo Valerius versus suos scripserit. Nam ex eiusdem Taciti Historiarum libris IV et V intellegimus Petilium Cerialem

ducem fuisse magni illius exercitus, qui anno 69 ad debellandam Batavorum seditionem mitteretur.<sup>1)</sup> Quae seditio cum, qua erat magnitudine, Cerialem usque ad annum 71 in illis regionibus retineret, apparet eum illo anno vel, quod verisimilius videtur, proximo demum anno imperium legionum, quae erant in Britannia, suscipere potuisse. Praeterea autem, cum credere debeamus, versus illos Valerii spectasse non ad solam expeditionem contra Britannos a Vespasiano redintegratam sed potius ad eventus, quos fecerunt duces militesque, non repugnant illi versus, etiamsi eos complures annos post Cerialis adventum scriptos esse existimemus.

His de causis errare me non puto recitatione primi libri circiter in anno 74 vel 75 posita. Singulorum autem quattuor librorum quo tempore unumquemque perfectum esse arbitrer, in altera quaestionis parte, quae est de carmine Valerii, mihi exponendum erit. Nunc autem id iam colligere possum, poetam inde ab anno 79, quo quartum librum scriptum esse supra iam monui, ad reliquos quattuor libros perficiendos fere idem temporis spatium consumpsisse quod ad priores. Itaque equidem Valerium anno 85 vel 86 mortuum esse censeo.

Pauca iam addamus de proemii versibus 12 sqq: versam proles tua pandet Idumen et q. s., ex quibus adhuc editores elicuerunt Valerium iam anno 71 primum librum recitasse. Qui quam parvi momenti nobis essent in quaestione, optime docuit iam Bernays l. c., neque eos nunc commemorarem, nisi exsisteret quidam locus Quinctilianeus, unde haud iniuria viri docti concluderunt, Domitianum re vera, cum poeticae studium simu-

---

1) Tacitus Hist. IV. 68.

laret,<sup>1)</sup> res à Tito gestas, quas ei praedicandas proposuisset Valerius, cecinisse. Laudat enim Quintilianus Domitianum inter poetas epicos his verbis (Inst. orat. X, 1, 91): „quid tamen his ipsis eius (Domitiani) operibus, in quae donato imperio iuvenis secesserat, sublimius, doctius, omnibusque numeris praestantius? Quis enim caneret bella melius, quam qui sic gerit?“ quae verba ad carmen quoddam imperatoris de bello Iudaico institutum facile referri possunt.

Artificiosior autem mihi videtur esse sententia Schenkeli, quam protulit in studiis ad Argonaut. p. 264 (adnot.)

Coniecit enim vir doctus, tam artam necessitudinem intercessisse Domitianum inter et Valerium, ut in numero eorum esset poeta, quibuscum carmina sua communicare Domitianus soleret. Atque firmavit sententiam suam inprimis ea re, quod Domitianum auctorem fuisse putabat Arateorum carminis, quorum quosdam prooemii versus imitatus esset Valerius tanquam gratias acturus principi benevolo. Sed rationes, quas attulit Schenkeli, ut demonstraret non Germanicum Caesarem sed Domitianum Arateorum auctorem esse probabiles non sunt, et consensu versuum non nullorum Valerii et Arateorum,<sup>2)</sup> quo potissimum ad suam coniecturam adductus esse videtur vir doctus, non tolluntur

1) De studiis poeticis, quibus Domitianus in secessu se dedisse dicitur vide Suetonium Domitian. 2, Tacitum Histor. V. 86, Martialem V. 5, 7, Imhofium in libro, quem scripsit de T. Flavio Domitiano (Halis Sax. 1857. p. 29).

2) Congruunt inter se illud „genitor Valerii I, 16 et Arateorum 2, Valerii versus I, 17 sqq. „neque enim Tyrii Cynosura carinis certior aut Grai Helice servanda magistris“ et Arat. vers. 40 sq. „dat Grai Helice cursus maioribus astris Phoenicas Cynosura regit“ denique Valerii vers. I, 21 „haec ut Latias vox impleat urbes“ et Arateorum vers. 15. „haec ego dum Latiis conor praedicere Musis.“

gravia argumenta, quae contra veterem illam sententiam Rutgersii,<sup>1)</sup> a Schenkelio redintegratam protulerunt Imhofius in libro de Tito Flavio Domitiano scripto (p. 130) et Josephus Frey in N. Mus. Rhen. vol. XIII. p. 409. Quae cum ita sint, unum iam quaerendum est, qui factum sit, ut Valerius Germanici Caesaris Aratea imitaretur. Atque verisimillimum mihi esse videtur, Valerium cum in expeditione Argonautarum describenda saepe numero siderum stellarumque coeli mentionem facere cogeretur (cf. I 357, 647, II 55, 68, V 46, VII 457 e. c.) priusquam carmen inciperet, legisse Germanici Aratea, librum eius modi tum clarissimum. Qua in re nonnullos prooemii versus suo carmini inseruit.

Iamiam finem faciamus quaestionis de vita<sup>2)</sup> Valerii et vertamus nos ad alteram quaestionis partem, quae est de carmine.

## II.

1. Valerii carmen, utrum perfectum sit necne satis incertum est. Recentioribus temporibus discidium erat inter Thilonem et Baehrensium, quorum hic poema mutilatum esse temporum iniuria putavit, ille autem poetam praematura morte opus perficere prohibitum esse dixit. Quare veterem litem componendi conatum facere denuo accuratius in rem inquirendo supervacaneum non videtur.

1) In 'Variis lectionibus' Lugd. Bat. 1618. II, 9.

2) De gente et magistratu Valerii de industria nihil commemoravi, quia novi quidquam addere non potui. De quibus rebus qui accuratius vult doceri, eum relego ad Mommseni 'quaestiones Romanas' I, 120, ubi de gente Valeria actum est, et ad Prelleri (Jordani) Mytholog. Roman. I<sup>3</sup> 306, 310, ubi agitur de collegio XV virorum sacris faciundis, cui interfuisse Valerium viri docti suo iure ex versibus 6/7 prooemii concluderunt.

Incipiam a Baehrensiō, qui novissimus quaestionem in praefatione editionis suae (p. III sq) retractavit. Is enim, quoniam ex Vergilii exemplo ad elaborandam Aeneida, cui ultimam limam a poeta adhibitam non esse certum sit, undecim annos consumentis et ex certis testimoniis Statii<sup>1)</sup> et Saleii Bassi<sup>2)</sup> appareat, poetis ad unum librum excudendum opus fuisse unius anni spatium, eo modo etiam Valerium in componendo carmine elaborasse putat. Et quoniam tantum materiae supererat, ut facile quattuor libros impleret, non dubitat, quin Valerius Vergilium aliosque secutus res ab Argonautis gestas duodecim libris cecinerit. „Itaque,“ inquit l. c. p. IV, „quia anno 71 primum librum et deinceps annuis recitationibus libros insequentes praelegerat, is fere a. 82 totum opus persolverat. Quod auctum emendatumque, ut fieri solebat, a. 83 vel 84 emissum puto, unde in libro IV., qui secundum nostram computationem a. 74 recitatus est, rei multo post gestae mentionem fieri explicatur. Iam cum priore cura dimissa novae cogitationi toto pectore incumberet Valerius, praematura morte litteris ereptus est. Unde optime intelligitur Quinctiliani dictum unicum opus integrum a poeta docto relictum esse dolentis. His rationibus adducti ea, quae post VIII, 467 nunc desunt, librarii incuria periisse Heinsium secuti opinamur.“

At vana videtur Baehrensii coniectura, quam ipse debili fortasse fundamento inniti concedit, contra optima argumenta, quibus inprimis Thilo demonstravit carmen Valerianum imperfectum ab ipso poeta relictum esse.

In codice enim Vaticano 3277, quem omnium opti-

1) cf. Thebais XII. 811.

O mihi bisenos multum vigilata per annos (Thebais).

2) cf. Tacit. dial. 9. . . . ut, cum toto anno per omnes dies, magna noctium parte unum librum excudit et clucubravit (scilicet Bassus), rogare ultro et ambire cogatur, ut sint, qui dignentur audire.

mum esse recte Thilo exposuit, Valerii Argonauticon septem libri integri et maior pars octavi, 467 versus, nobis traditi sunt. Quae cum ita sint, quid mirum, quod iam qui primi poetae nostro operam dederunt, quaestionem sibi proponerent, quinam factum esset, ut opus mutilaretur? Quorum antiquissimorum sententiam, qui ex Quinctiliani illo loco supra collato apparere dicebant, Valerium morte opus suum conficere prohibitum esse, primus reicere studuit Heinsius<sup>1)</sup> ,Potuit enim, inquit, poema longae aetatis aut Gothicarum inruptionum culpa truncatum ad nos pervenisse.' Sed quo maxime nitebatur argumentum, per omnes ferme Epigrammaton libros Flacci Martialem meminisse, a Thilone, ut iam dixi, deletum est.

Luculentissime autem illam quaestionem denuo suscepit G. Thilo in prolegg. p. XXVI. Qui primus argumentis sat gravibus demonstravit, non licuisse poetae opus suum conficere et ultimam, ut aiunt, manum afferre. Atque attulit causas tres, quarum una est, quod etsi duobus tantum locis inveniuntur versus, in quibus eadem sententia simili modo expressa est et ex quibus, quin meliorem postea cum perpoliret carmen poeta elegerit, dubitari non potest, altera, quod saepenumero poeta secum pugnat, tertia denique, quod permulti exstant in enarratione sententiarum hiatus, qui omnes sola librariorum vel temporum culpa orti esse putari non possunt. Sed quod saepe fieri solet, ut qui primi talem quaestionem inierint, multifariam erraverint, neque plane materiam exhauserint, Thiloni quoque accidit. Eo magis igitur laudandus est Schenkelius, ipse quoque Thilonianae sententiae defensor, quod in ,Studiis ad Arg.' re denuo

---

<sup>1)</sup> In editionis praef. Lugd. Bati. 1680.

disquisita non modo errores antecessoris quosdam correxit, sed etiam multa nova argumenta addidit.

At ne ille quidem vir doctus omnia, quae huc spectant contulit, sed etiam graeviora quaedam omississe mihi videtur, quae suis locis addam.

Missos faciamus duos illos locos<sup>1)</sup>, ubi duos eiusdem sensus versus ad eligendum posuisse videtur poeta, quibus per se magnam argumentationis vim non vindico: Nam gravissima argumenta, propter quae Valerium morte praematura carmini perficiendo ereptum esse puto, extare mihi videntur eis locis, ubi secum pugnat poeta. Ex illis, quae attulit Thilo (prlg. XXVI) pleraque iustam repulsam tulerunt vel a Philippo Wagnero<sup>2)</sup> in recensione editionis Thilonianae vel a Schenkelio ita, ut nuum iam restaret exemplum talis discrepantiae, quod legimus VII. 423. Hic questus Iason apud Medeam iacturam duorum comitum in pugna Scythica factam, an iacet, inquit, externa quod nunc mihi cuspide Canthus, quodque meus vestris cecidit pro moenibus Iphis: Sed de morte Iphis cum in pugnis in libro VI descriptis nihil comperiamus, quamquam et in primi libri catalogo heroum I. 441 sq. legimus, Iphidem in Scythia periturum esse, facere non possum, quin cum Thilone existimem, Valerium negligentia oblitum esse, mortem Iphis enarrare, quod vitium certe emendaturus fuit si ultimam limam carmini addere ei licuisset. Atque confirmor in ea sententia, quod in sexto potissimum libro alia quoque eiusmodi negligentiae vestigia inveniuntur, quae Thilonem fugerunt. Quorum unam iam animadvertit Wagnerus ad libri VI versum 572:

1) Val. V, 565/6. Qualis ab Oceano nitidum chorus aethera vestit qualibus adsurgens nox aurea cingitur astris.

VII. 201/2. Hoc satis, ipsa etiam casus spectare supremos ei mihi! ne casus etiam spectare supremos.

2) In Fleckeis. Ann. Vol. 89. 1864.

‚At Latagum Zetemque Daraps: illum exigit hasta<sup>5</sup>  
quem plane non respondere eiusdem libri versui 66/7:

‚Datin Achaemeniae gravior de vulnere pugnae  
misit in arma Daraps.<sup>5</sup>

bene observavit vir doctus. Neque vero ei VI., 572 pro  
‚Daraps<sup>5</sup> ponenti ‚Datis<sup>5</sup> me assentiri posse confiteor.  
Ipse ego praeterea addiderim discrepantiam, quae est  
inter sexti libri versum 507 et v. 750. Primo enim  
loco legimus:

‚Iamque Getae, iamque omnis Hiber, Drangaeaque densa  
Strage cadit legio et latis prosternitur arvis.<sup>5</sup>

cum ex versibus 750 sqq.:

‚Iam tandem extremas pugnae defertur in oras (Perses)  
forte ubi serus Hiber Issedoniaeque phalanges  
Marte carent solisque iuvant clamoribus agmen<sup>5</sup>,  
eluceat Hiberos nondum interfuisse pugnae. Cui discre-  
pantiae statim aliam adiungam, quae est in III. libri  
vers. 302.

Iason postquam noctu Cyzicum necavit, rupit in  
questus et inprimis vates accusabat, quod tantum nefas  
conticuissent:

‚Patriae exitium crudele senectae

Et tot acerba canentes.<sup>5</sup>

Manifestum est illa verba referri non posse, nisi ad  
crudele exitium Aesonis et Alcimedes in fine libri primi  
narratum. Tum vero repugnant verba eis, quae poeta  
cecinit in initio libri alterius:

‚Interea scelerum luctusque ignarus Jason  
alta secat; neque enim patrios cognoscere casus

Juno sinit,<sup>5</sup> e. q. s. neque enim invenitur ullus locus,  
ubi Iasonem de morte parentum certiore fieri legimus.

Superest, ut unum tractemus locum, cuius diffi-  
cultates adhuc omnes viros doctos fugerunt. Sunt enim  
versus libri secundi 6—71. Narraverat poeta I, 485—97

profectionem Argonautarum, deinde a versu I. 574 causas magnae tempestatis a Borea excitatae, periculum navis et quomodo procella a Neptuno composita esset. Tum descripta morte Aesonis et Alcimedes in initio alterius libri enumerantur loca, quae praetervecti sunt heroes ab Iolco, donec prima nox inrupit, cuius terrores Tiphys gubernator longa adhortatione lenire studet.

Quibus in rebus maxime id mirandum est, quod Valerius fieri potuisse credidit, ut duodecim horis heroes navigarent ab Iolco usque ad Pallenen paeninsulam, praesertim cum, ut supra iam dictum est, magna tempestas eis toleranda esset. Et quominus longius temporis spatium intercessisse putemus, impedimur ea, quae sequitur, descriptione noctis terrorum, quae prorsus perversa esset, nisi primam noctem, quam in mari viderunt heroes, fuisse crederemus. Causa autem illius poetae erroris patere mihi videtur. Imitatur enim hoc loco Apollonium (I. 559 sqq.) apud quem ad eandem viam emetiendam Argonautis bidui navigatio opus est. Sed cum ea, quae in illo itinere accidisse Apollonius narravit, Valerio mentione non satis digna viderentur, praetermisit omnia nisi nomina locorum<sup>1)</sup> nulla ratione habita eius rei, quod uno die tantum itineris spatium navi percurri non posset.

1) Ex nominibus, quae enumerat in illis versibus, non omni dubitatione caret nomen Eurymenarum oppidi (i. vers. II, 14.) J. Wagnerus in commentario suo suspicatus est, Valerium non recte intellexisse Apollonium I, 598 scribentem *ἐβουμένας τε πολυκλήστους τε φαράγγας Ὀσσης* et vocem *ἐβουμένας* adiective positam pro nomine proprio accepisse. Merkelius primus in editione Apollonii restituerat *Ἐβουμένας* ex testimonio Stephani Byzantii, qui eius nominis urbem in Thessalia nominavit. Et in Scylacis Caryandensis, qui vocatur, periplo 65 in regione Magnetum (Müller, Geographi Graeci min. I. p. 51) appellatur urbs Eurymenae, quae in ora sita est. Tamen dubito, num recte scripserit Merkelius *Ἐβουμένας* pro *ἐβουμένας*.

Pari modo id, quod Valerius narrat de Hercule III, 700 sqq.:

,non hi tum flatus, non ista superbia dictis  
litore cum patrio, iam vela petentibus austris  
cunctus ad Alciden versus favor: ipse iuvaret  
ipse ducis curas meritosque subiret honores,<sup>6</sup>

referendum est ad Apollonii versus I, 342 sqq. Nam apud Valerium nusquam commemoratum est, Herculem a sociis primum quidem ducem expeditionis creatum esse, sed munus illud reiecisisse.

Praeter hos locos, quos ipse attuli, complures iam alios invenit Thilo (prlg. XXVIII) ubi veritatem rerum non satis ponderatam videmus, qui quidem permagni momenti non sunt. Eius rei exempla exstant velut I, 22, ubi Valerius in describenda magnitudine regni Peliae plus iusto modum excessit aut V, 477, ubi falso Cretheum Phrivi et Iasonis avum fuisse dixit. Sed haec hactenus.

Nunc si transimus ad tertiam causam, ex qua Thilo carmen imperfectum esse censuit, libenter Baehrenσιο concedo opus esse periculosae aleae plenum ex sententiarum hiatu, ordine versuum turbato aliisque rebus certa iudicia elicere, quibus demonstretur Argonautica non esse perfecta, praesertim cum unus ille codex, quo niti possumus, adeo corruptus esset. Sed quamquam compluribus locis Thilonem et inprimis Schenkelium nimia fortasse coniectandi libidine usos esse non nego, tamen satis multa restant exempla, quibus vitia non ad malam contextus rationem referenda, sed ipsi poetae vindicanda sunt.

---

Nam omisso illo loco Liviano (39, 25), ex quo iam Ruhnkenius in Epist. criticis II, 196 coniecit, Eurymenas esse urbem Thessaliae mediterraneae, num re vera in contextu Apollonii scriptum fuerit *Ἐὐρυμηνάς* idcirco dubium mihi esse videtur, quod scholiasta Apollonii carminis, qui aliis locis ad geographiam spectantibus accuratam adnotationem adiunxerit, eam ad illum versum plane omisit.

canda esse dilucide docemur. Longum est nunc omnia exempla afferre, sed pauca, quae gravissima puto, addam. In libro altero e. g., ubi narrantur res in insula Lemno gestae, postquam Iasonem et Argonautas a feminis Lemniacis rogatos urbem intrasse ibique bene receptos esse comperimus, subito a versu 332 sqq. ,Ventum erat ad rupem' e. q. s. res plane nova describitur. Conexus, qui hoc loco desideratur, facile suppleri potest. Hypsipyle regina hospitem suum sive ab ipso interrogata sive sua sponte deduxit ad celebre Vulcani antrum. Neque dubium est, quin a poeta, quippe qui propter res bene continuatas laudandus sit, postea cum carmen retractaverit, conexus restitutus sit.

Consentaneum autem est, summum numerum eiusmodi vitiorum inveniri in libro octavo, quo in condendo poeta morte litteris ereptus est. Quod si verum est quid mirum, quod in primis in extrema parte illius libri et ordo versuum saepe turbatus et rerum conexus plane neglectus est? Incipiunt difficultates iam a versu 134, ubi et in codicibus versuum ordo valde dirutus est. Desunt enim in codice Vaticano vv. 136—153 et 366—385, atque 154—185 secuntur versum 365. Monacensis vero et Vaticanus 1653 habent versus in V. omissos, sed 136—153 post versum 385. Quae vitia, quomodo orta sint, diiudicare non possumus neque id nunc nobis magni pretii est, cum unum constet non esse facta, quod fortasse is, qui codicem Vaticanum descripsit, vir admodum sagax, tali modo meliorem conexum restituere conatus sit. Immo versibus 154—183 post v. 365 positus demonstratur eum aut stolide versus ita ex suo codice descripsisse, aut eos fortuito omissos illo loco ineptissime addidisse. Quae cum ita sint, codicum mendorum rationem habere non opus est atque verus ordo versuum, qualis iam ab Italis restitutus sit nobis quoque probabitur.

Sed iam videamus singula. Atque hic primum quidem offendimur in versibus 134—40. Num re vera credere possumus, sex illos versus satisfacisse poetae nostro terrorem describenti, quem parentibus ceterisque propinquis vel Colchis ipsis iniecerit fuga Medeae? Nihil comperimus de ira Aeetae regis, nihil de Absyrto Medeam persequente, sed subito hunc ad Peucen insulam magna cum classe Argonautis occurrentem videmus, quamquam illi aliam viam intrare in ipso itinere constituerunt! Quod poetae mendum iamdudum observatum esse ostendunt sedecim illi versus, quos Pius in nonnullis codicibus ‚non antiquissimis tamen‘ repperit.<sup>1)</sup> Qui, quamquam quaecumque desiderantur in Valerii carmine exhibent, tamen iure ab omnibus editoribus excepto uno Weichert<sup>2)</sup> e contextu remoti sunt.

Sequitur nunc longa exclamatio matris Medeae vv. 140—174. Nonne mirum esse debet Valerium patri nulla verba dedisse, matri autem, cuius poeta adhuc nulla mentionem fecit, ut ne eius nomen quidem noverimus, adeo lamentantem induxisse? Et quam absurda est illa oratio (v. 167 sqq.). Adde quod hoc quoque loco conexus inter vv. 139 et 140 ‚mater adhuc ambas tendebat in aequora palmas‘ deest. Sine dubio particula ‚adhuc‘ spectat ad res quasdam antecedentes, quae non iam exstant. Itaque Weichertus, quem Thilo sequitur, nonnulla ante versum 140 excidisse putat. Alii editores coniecturis illi damno mederi studuerunt.<sup>3)</sup> Equidem nil

1) cf. Thilo p. 231.

2) In dissertatione, quam scripsit ‚de versibus aliquot Vergili et Valerii Flacci iniuria suspectis‘ Misena 1828 p. 139 sqq. illos versus poetae vindicat eosque post versum 139 collocat.

3) Burmannus proposuit ‚ad hoc‘ Wagnerus ‚ad haec‘ vel ‚Idyia‘, nomen matris Medeae ex Apollonio sumptum. Sed difficultates supra memoratae nullo modo tolluntur.

mutaverim, sed potius omnia illa vitia imperfecto statui totius VIII libri adscripserim. Huc pertinet quoque sensus hiatus, qui est inter vv. 174 et 175. Neque vero is tam gravis est, quam inopia omnis argumentationis orationis, qua Erginus Argonautis, ut alia via redirent, persuadebat. Imitatur Valerius Apollonium, qui ipse quoque heroes per Istrum flumen redeuntes fecit. Quam bene ibi res continuatae et coniunctae sunt! Iam Phineus Iasoni praedixerat, reditum alia via faciendum esse. Cuius rei memores, cum in Paphlagonia Hecatae sacrificium instaurassent, ab Argo de novo itinere per Istrum instituendo certiores facti ipsorum deorum signo medium per mare ad Peucen insulam deducuntur. Apud Valerium autem Erginus ‚subito‘ Iasoni, cum Cyaneos montes denuo subire non audeat, proponit aliud iter per Istrum et Ionium mare faciendum; neque nos possumus intellegere, aut cur proximo demum die, antequam ad illas rupes venerint, Erginus illam viam proposuerit, aut unde eam noverit.

Plane autem obscurum manet, quomodo Absyrtus Argonautas iter flexisse compererit. Et in hac re superat Valerium Apollonius, qui partem navium Colchidarum Aeeta duce per Cyaneos montes navigasse, partem Absyrti imperio addictam ad Peucen insulam pervenisse narravit.

Secuntur nunc VIII libri versus 202—216 et per se minime suaves et in singulis rebus non omni offensione liberi. Nimum enim poeta hic ingenio habenas immisisse videtur, cum uno tenore coniungeret ‚Sarmatici ponti litora‘, ‚Thoanteam Dianam Scythiae amnes Hyperboreasque pruinas‘ cum ‚nubifera Carambi‘ et ‚regnis Lyci, quae significavit Iason‘. Quid est, cur dixerit Valerius Medeam ‚tot modo regna tenentem‘? Et quo modo nobis sociandus versus 200 sq.:

protinus inde alios flectunt regesque locosque  
adsuetumque petunt plaustris migrantibus aequor  
cum versibus 214 sq?

Videmus igitur totum locum (134—216) plenum esse difficultatum sive in sententiarum conexu sive in ipsa enarratione positarum. Et cum plerumque sunt tales, quae tolli non possint, etiamsi multos versus excidisse putemus, nihil restat, nisi ut censeamus totum locum constare ex imperfectis adumbrationibus earum rerum, quas poeta postea accuratius enarrandas sibi proposuerit, quas adumbrationes aut ipse poeta aut post eius mortem alii hoc loco laxè insererent, ut summa quidem rerum perspicere posset, neque maior sententiarum hiatus existeret. Nam quae post versum 216 incipit narratio, meo quidem arbitrio non minus, quam prima VIII libri pars plane perfecta esse videtur sed ita, ut hic quoque sicut in ceteris carminis libris poetae ultimam manum addere non liceret. Hymenaei enim Iasonis et Medeae instaurati, mox adventu Absyrti Colchorumque turbati, tempestas a Iunone excitata interitusque Styri, deinde consilia ab Argonautis contra Medeam facta, Iasonis dubitatio, denique Medeae oratio, qua promissi sui admonet Iasonem, haec omnia bene enarrata et continuata sunt.

Habemus igitur in VIII libro quasi sex varias partes, quarum duo, 1—133 et 216—467, admodum perfectae sunt, reliquae autem, quae inter illas exstant, 134—139, 140—174, 175—201, 201—216, rerum, quas describere voluit poeta, adumbrationes nondum elaboratae neque inter se cohaerentes factae.

Versatus sum paulo longius in quaestione de octavo libro non modo, quod ita eam a nullo adhuc institutam esse video, sed etiam quod illa magni nobis momenti est ad constituendam rationem, quam in elabo-

rando carmine adhibuit poeta. Nam ex VIII imprimis libri exemplo, quo in condendo morte ereptus est Valerius litteris, apparet eum non uno tenore res deinceps cecinisse, sed varias singulorum librorum partes, utut placuit, condidisse, quas postea componeret coniungeretque. Quid igitur mirum, quod praesertim cum opus suum retrac-  
tare et perpolire poetae non liceret, cum in ceteris libris, tum in octavo permulti sententiarum hiatus inveniuntur.

Quae sententia multo melior mihi videtur, quam Heinsii eiusque sectatoris, Baehrensii, qui omnes lacunas vel versuum turbationes (octavi libri) assignarent temporum iniquitati vel monachis librariisque. Licet enim unumque eorum scribarum desiisse in versu 467 octavi libri describendo, non video, cur adeo corrumpi potuerit extrema pars, si profecto a Valerio carmen perpolitum editumque esset? Et quod exempla similium carminum mutilorum attulit Heinsius Lucani Pharsalia, Claudiani Raptum Proserpinae<sup>1)</sup> nonne pro nostra magis quam pro illorum sententia locuntur?

Extremo autem loco gravissimum sententiae nostrae argumentum reservavimus, rem metricam Valerii Flacci.

Non nobis in animo est, hoc loco accuratissimam eius disquisitionem instituere, quae modum tempusque nobis datum multum excederet, sed inprimis id agemus, ut, quae fuerit poetae ars metrica, patefaciamus et quae redundant nobis ex illius artis usu argumenta ad diiudicandum, utrum perfecit Valerius carmen suum necne.

Qua in quaestione duae nobis patent viae, quas

---

1) Ludovicus Ieep quidem in Actis Ritschel. vol. I. p. 378 olim iudicavit etiam Claudiani Raptum Proserpinae tantum temporis iniuria non perfectum in codicibus traditum esse, id, quod paulo artificiosius demonstrasse videtur. In editione Claudiani id non repetivit: quare putaverim Ieepium ipsum illam sententiam reliquisse.

aperuerunt cum Drobischius<sup>1)</sup> et Hultgrenius<sup>2)</sup> tum Theodorus Birtius in libello, cui inscripsit ‚Ad historiam hexametri latini symbola‘ (Bonnae 1876). Ex his Drobischius, philosophus clarus Lipsiensis, primus usum dactyli et spondei in hexametris poetarum latinorum accuratissime excussit neque pretio operis sui frandatus est. Perutiles enim rationes, quas invenit inter singulos poetas, erant ad diiudicandas quaestiones difficillimas. Consentaneum autem est, virum illum doctum, cum inde ab Ennio, patre hexametri latini, usque ad Claudianum per omnes fere poetas epicos calculos poneret, parvo tantum cuiusque carminis numero versuum contentum esse debuisse. Itaque Valerii quoque nostri 640 versus primi libri in disquisitionem vocavit atque tabulam formarum versuum invenit hanc (l. c. p. 118):

dsds	20,5 pCt.	sdsd	3,8 pCt.
ddss	11,7 „	dddd	3,75 „
ddds	10,0 „	sdss	3,4 „
dsss	9,8 „	sdds	3,3 „
ddsd	8,4 „	ssss	1,9 „
dssd	8,1 „	sddd	1,7 „
dsdd	7,7 „	ssdd	0,8 „
ssds	4,7 „	sssd	0,5 „

Habent igitur in primo pede spondeum 20,1 pCt.

Equidem vero, cum mea multum interesset et videre, num tabula illa paucis modo ex versibus composita multum mutaretur, si omnes carminis versus perlustraremus, et constituere, num usus singularum formarum per singulos libros integer maneret, in totius carminis versus inquisivi.

Neque abs re esse puto tabulas, quas composui, describere, quo quisque facilius, quae inde concludamus, intelligere possit. Atque sunt tabulae hae:

1) ‚Ein statistischer Versuch über die Formen des lat. Hexameters‘, in Actis Societatis Regiae Saxonicae. 1866 vol. XIII. p. 75 bis 139.

2) ‚In Observationibus metricis in poetas elegiacos Graecos et Latinos‘ Lipsiae 1871 et 1872.

I.		II.	
dsds	177 = 20,8 pCt.	dsds	144 = 21,7 pCt.
dddd	98 = 11,5 "	ddss	78 = 11,7 "
ddss	91 = 10,7 "	dddss	77 = 11,6 "
dsss	82 = 9,7 "	ddsd	70 = 10,5 "
ddsd	69 = 8,1 "	dsss	67 = 10,0 "
dssd	69 = 8,1 "	dsdd	51 = 7,7 "
dsdd	67 = 7,9 "	dssd	46 = 7,0 "
ssds	39 = 4,6 "	dddd	24 = 3,6 "
dddd	32 = 3,8 "	sdds	20 = 3,0 "
sdss	31 = 3,7 "	sdss	20 = 3,0 "
sdds	28 = 3,3 "	ssds	19 = 2,9 "
sdsd	28 = 3,3 "	sdsd	18 = 2,7 "
sddd	15 = 1,8 "	sddd	15 = 2,3 "
ssss	13 = 1,5 "	ssss	6 = 0,9 "
ssdd	6 = 0,7 "	ssdd	5 = 0,8 "
sssd	4 = 0,5 "	sssd	4 = 0,6 "
<hr/> Verss: 849 = 100 pCt.		<hr/> Verss: 664 = 100 pCt.	

In primo pede spondeum habent in

I. verss. 164 = 19,3 pCt.; in II. verss. 107 = 16 pCt.

III.		IV.	
dsds	192 = 26,0 pCt.	dsds	171 = 22,5 pCt.
ddss	81 = 10,9 "	dssd	94 = 12,3 "
dsss	71 = 9,6 "	ddss	92 = 12,1 "
dddss	70 = 9,5 "	dsss	80 = 10,5 "
ddsd	68 = 9,2 "	dddss	69 = 9,1 "
dssd	59 = 8,0 "	ddsd	58 = 7,6 "
dsdd	51 = 7,0 "	dsdd	44 = 5,8 "
sdds	34 = 4,6 "	dddd	37 = 4,9 "
dddd	29 = 4,0 "	sdss	26 = 3,4 "
ssds	21 = 2,8 "	sdds	26 = 3,4 "
sdss	20 = 2,7 "	ssds	18 = 2,4 "
sdsd	19 = 2,6 "	sdsd	17 = 2,2 "
sddd	8 = 1,0 "	sddd	10 = 1,3 "
ssdd	7 = 0,9 "	ssss	10 = 1,3 "
ssss	6 = 0,8 "	ssdd	5 = 0,7 "
sssd	3 = 0,4 "	sssd	4 = 0,5 "
<hr/> Verss: 739 = 100 pCt.		<hr/> Verss: 761 = 100 pCt.	

In primo pede spondeum habent in

III. verss. 118 = 16 pCt.; in IV. verss. 116 = 15 pCt.

V.		VI.	
dsds	153 = 22,0 pCt.	dsds	186 = 24,5 pCt.
dsdd	89 = 12,8 "	ddss	90 = 11,0 "
ddss	77 = 11,1 "	dssd	84 = 11,1 "
dsss	69 = 10,0 "	dddd	70 = 9,2 "
ddsd	66 = 9,5 "	ddsd	67 = 8,8 "
ddds	58 = 8,3 "	dsss	64 = 8,4 "
dsdd	53 = 7,6 "	dsdd	52 = 6,8 "
dddd	30 = 4,3 "	sdss	33 = 4,3 "
sdss	22 = 3,2 "	dddd	27 = 3,5 "
sdsd	20 = 3,0 "	sdsd	25 = 3,3 "
sdds	19 = 2,8 "	ssds	18 = 2,4 "
ssds	15 = 2,2 "	sdds	15 = 2,0 "
sddd	10 = 1,4 "	sddd	13 = 1,7 "
ssdd	6 = 0,8 "	ssss	5 = 0,7 "
ssss	5 = 0,5 "	ssdd	5 = 0,7 "
sssd	3 = 0,4 "	sssd	5 = 0,7 "
<hr/>		<hr/>	
Verss: 695 = 100 pCt.		Verss: 759 = 100 pCt.	

In primo pede spondeum habent in

V. verss. 99 = 14,3 pCt.; in VI. verss 119 = 15,7 pCt.

VII.		VIII.	
dsds	139 = 21,4 pCt.	dsds	112 = 24,0 pCt.
dsss	97 = 15,0 "	ddss	54 = 11,6 "
ddss	83 = 12,8 "	dsss	49 = 10,5 "
ddsd	61 = 9,4 "	ddds	42 = 9,0 "
dssd	52 = 8,0 "	ddsd	41 = 8,8 "
ddds	50 = 7,7 "	dssd	41 = 8,8 "
dsdd	32 = 5,0 "	dsdd	36 = 7,7 "
sdss	31 = 4,8 "	sdss	15 = 3,2 "
sdds	25 = 3,8 "	sdds	15 = 3,2 "
dddd	20 = 3,0 "	ssds	14 = 3,0 "
ssds	17 = 2,6 "	sdsd	12 = 2,6 "
sdsd	14 = 2,3 "	ssdd	10 = 2,1 "
ssdd	12 = 1,8 "	dddd	8 = 1,7 "
sddd	8 = 1,1 "	sssd	7 = 1,5 "
sssd	5 = 0,7 "	ssss	6 = 1,3 "
ssss	4 = 0,6 "	sddd	5 = 1,0 "
<hr/>		<hr/>	
Verss: 650 = 100 pCt.		Verss: 467 = 100 pCt.	

In primo pede spondeum habent in

VII. verss 117 = 17,7 %; in VIII verss 84 = 18%

Liceat nunc iam addere tabulam totius carminis versuum.

dsds	1274	=	22,8	pCt.
ddss	646	=	11,5	"
dsss	579	=	10,3	"
dsdd	534	=	9,6	"
ddds	534	=	9,6	"
ddsd	500	=	9,0	"
dsdd	386	=	7,0	"
dddd	207	=	3,7	"
sdss	198	=	3,5	"
sdds	182	=	3,3	"
ssds	161	=	2,9	"
sdsd	154	=	2,8	"
sddd	84	=	1,5	"
ssdd	56	=	1,0	"
ssss	54	=	0,9	"
sssd	35	=	0,6	"

---

Verrs: 5584 = 100 pCt.

In primo pede spondeum habent

versus 924 = 16,5 pCt.

Nunc si comparamus ultimam hanc tabulam cumea Drobischii supra descripta, non raro ordinem formarum mutatum esse videmus. Imprimis forma dddd superiorem locum obtinuit.<sup>1)</sup> Neque vero discrepantiae tantae sunt, ut illis infringantur ea, quae ex sua tabula concluderit Drobischius de loco, cui assignandus est poeta inter reliquos poetas, vel de exemplari, cui potissimum se applicavit Valerius in re metrica.

Quod non fuisse Vergili Aeneida, quam in compositione et elocutione plurimis locis imitatum esse Valerium notum est, sed Ovidium, ingeniosissimum illum rei me-

---

1) Adde quod numerus spondeorum in primo pede versuum in nostra tabula valde minutus est. (20,1% : 16,5%.)

tricae et severissimum artificem mirum esse fortasse videbitur; sed confirmatur non solum comparatione, quam fecit inter Ovidii et Valerii tabulas Drobischius, sed etiam multo magis consensu Ovidii et nostrae tabulae, qui nescio an artior esset, si et Ovidii versuum maiorem numerum in disquisitionem vocaremus. Nam praeter nimis fere frequentem usum formae dsds, quem antea apud unum Lucanum invenimus, Ovidii et Valerii tabulae ferme congruunt.

Idem efficitur quoque, si comparamus utriusque per singulos pedes dactyli vel spondei usum. Habent enim in primo pede:

spondeum Valer. in vv.	924 = 16,5%
Ovidius in vv.	94 = 16,8%
dactylum Valer. in vv.	4660 = 83,5%
Ovidius in vv.	466 = 83,2%

In altero pede habent

spondeum Valer. in vv.	3079 = 55,2%
Ovidius in vv.	294 = 52,5%
dactylum Valer. in vv.	2505 = 44,8%
Ovidius in vv.	266 = 47,5%

In tertio vero et quarto pede mutatur ratio quae intercedit inter Ovidium et Valerium, quod facile intellegitur ex immenso usu formae dsds apud Valerium.

Atque habent in tertio pede

spondeum Valer. in vv.	2700 = 48,3%
Ovidius in vv.	329 = 58,8%
dactylum Valer. in vv.	2884 = 51,7%
Ovidius in vv.	231 = 41,2%

In quarto denique pede habent

spondeum Valer. in vv.	3628 = 65,0%
Ovidius in vv.	295 = 52,7%
dactylum Valer. in vv.	1956 = 35,0%
Ovidius in vv.	256 = 47,3%

Sed discrepantia illa, quae exstat in tertio et quarto pede admodum iam excusata, non impedit, quominus, si summam spondeorum vel dactylorum in singulis pedibus adhibitorum computemus, denuo numeri apud Valerium Ovidiumque fere congruant.

Exstant enim in 2. 3. 4 pede

	spondei		dactyli
apud Val.	9407 = 56,2%	—	7345 = 43,8%
„ Ovid.	918 = 54,5%	—	762 = 45,5%

in omnibus quattuor pedibus

	spondei		dactyli
apud Val.	10331 = 46,2%	—	12005 = 53,8%
„ Ovid.	1012 = 45,2%	—	1228 = 54,8%

Sed quid plura? Satis enim iam mihi demonstrasse videor Valerium in re metrica Ovidii potissimum exemplum secutum esse.

Itaque vertamus nos ad ea, quae concludere possumus ex comparatione singulorum librorum artis metricae. Qua in re cum id maxime agatur, utrum in primo pede dactylum adhibuerit poeta an spondeum, sub fine libri cuiusque iam rationem, quae intercedit inter numerum dactylorum et spondeorum notavi. Statuit enim Hultgrenius l. c. legem, quo quisque elegantior esset poeta, eo magis eum vitare usum spondei in primo pede, quam si apud Valerium adhibebimus, miras quasdam frequentationes spondei in primo pede libri I et VIII inveniimus, quarum primi libri excusanda erit aut, quod poeta tiro esset in arte metrica vel, quod maiore celeritate ad recitationem elaborasset librum. In VIII autem libro, cuius tabula praeter magnum illum spondeorum in primo pede numero, multas alias quoque discrepantias ostendit a reliquis tabulis, velut rarum formae dddd usum, omnes illae res comprobare mihi videntur ea, quae de imperfecto statu eius libri supra monui.

Ad similem finem deductus est etiam Birtius in libello suo supra laudato, quamquam plane aliam quaestionis viam intravit.

Is enim usu caesurarum praecipueque hexametri tripartiti, quarum Drobischius obiter modo rationem habuit, per totius latinitatis poetas in disquisitionem vocato maiorem vel minorem uniuscuiusque poetae elegantiam constituere conatus est. Atque hic quoque ommissa ea re, quod Valerium plus iusto in usu hexametri tripartiti luxuriasse demonstravit (p. 61)<sup>1)</sup> ita, ut ‚semiquinariae primum suum locum in heroica arte fere oblivisceretur‘, ostendit comparatione duarum volgatissimarum duplicis caesurae formarum facta ‚Valerii aliquanto decrescere elegantiam‘. Invenit enim, ut illius notis utar, tabulam hanc:

Semel exstat		F. II.	F. II : F. III.
in Valeri Flacci l. I	in vv. 21 <sup>3</sup> / <sub>4</sub>	(39 ex.)	1 : 5 <sup>1</sup> / <sub>3</sub>
„ „ „ l. III	„ „ 19 <sup>1</sup> / <sub>2</sub>	(38)	1 : 5 <sup>1</sup> / <sub>3</sub>
„ „ „ l. VIII	„ „ 13 <sup>1</sup> / <sub>3</sub>	(35)	1 : 3.

Restat nunc, priusquam huius laboris campum relinquimus, unum memoratu dignum. Notior est, quam ut multis verbis explicem, res, poetas latinos et praecipue latinitatis, quam vocant, argenteae quantum poterant vitasse versus spondiacos.<sup>2)</sup> Cui postulato Valerium quoque egregie obsecutum esse apparet vel inde, quod in toto carmine unus exstat versus spondiacus I, 468:

‚quin et Cecropiae proles vacat Orithyiae‘,  
et is quidem graeco nomine excusatur. Apud Vergilium in Aeneide iam sunt 31 versus spondiaci et apud Apollo-

1) Usurpavit enim Valerius caesuram duplicem in libro I seme in vv. 3<sup>1</sup>/<sub>6</sub> (237 ex), in III in vv. 3<sup>1</sup>/<sub>12</sub> (240 ex), VIII in vv. 3<sup>1</sup>/<sub>2</sub> (135 ex).

2) cf. Viertel: de versibus poet. lat. spondiacis. Lipsiae 1863.

nium e. g., Valerii exemplar, undecimus quisque versus spondiacus est.<sup>1)</sup>

Sed haec hactenus. Cetera enim, quae de Valerii re metrica dicenda erunt, nunc sepono alias fortasse repetiturus. Redeamus igitur ad refellendas Baehrensii sententias, quarum de prima satis multa iam verba fecisse mihi videor. Quare transeamus ad alteram, quam de ambitu carminis Valerii protulit.

## 2.

Scriptis in praefatione p. IV Baehrensii haec: „Sin vero res usque ad librum VIII, 467, qui nunc totius operis est ultimus, tractatas accuratius inspexeris itaque quonam modo poeta noster historias suas pertexere soleat, cognoveris, tantum materiae superesse videbis, facile ut quattuor libris integris suffecerit. Neque dubito, quin Vergilium aliosque secutus Argonautarum res gestas duodecim libris cecinerit.“

At ne in ea quidem re me cum illo viro docto consentire posse, ingenue fateor. Sed ut melius meam sententiam cognoscas, me paulo longius quaestionem de carmine Valerii repetere opus est.

Satis notum est Valerium carminis sui materiam hausisse ex Apollonii Rhodii Argonauticon poemate. Quod mirum fortasse videri potest, cum res a Tito gestae laude poetae dignissimae essent neque illis temporibus ad illam materiam iam coegisse poetam posset timor ille principum, qui posteros praecipue poetas Statium, Silium aliosque commovit, ut ex antiquis potissimum temporibus materias carminum repeterent.<sup>2)</sup> Nec primus tum res ab Argonautis gestas Romanis tradidit; nam Varro Ata-

1) cf. Ludwich: de hexametris poet. graec. spondiacis.

2) Hunc morem iure castigavit Iuvenalis in initio I saturae, cuius versus 7—10:

cinus iam Argonautica scripserat idem exemplar secutus atque Valerius.<sup>1)</sup> Sed utut erant causae, quibus commotus illas ipsas res sibi canendas proposuerit, quin materiam semel receptam suo modo composuerit et quasi adumbrationem totius operis, qualem Vergilium ipsum quoque habuisse ex Donati vita Vergiliana<sup>2)</sup> scimus, fecerit, dubitari non potest. Habemus enim in primo libro iam multa exempla, ubi res, quae postea demum fusius enarrantur, certam discrepantiam ostendant a rerum descriptione ab Apollonio adhibita, quorum ex numero, ut unusquisque facile, quo res spectet, intellegat, unum saltem in transcurso afferam. Si I 440 sq. et 450 sq. poeta Iphin et Canthum, quorum alterum Apollonius non commemorat, alterum in Libya diem supremum obeuntem facit (in lib. VI, 317 sqq. et lib. VII, 422), in Aea contra Scythas pugnantes interituros esse dicit, hac re indicat, se certo consilio ab Apollonii descriptione discessisse.

Mirum autem et magnopere dolendum est, quod in tota carminis parte, quoad nobis servatum est, nullus exstat locus, unde certi quidquam de longitudine operis concludere possimus.

Nam falso ex ultimis versibus vaticinationis Mopsi, quae est in I, 210 sqq.:

---

,Nota magis nulli domus sua, quam mihi lucus  
Martis et Aeoliis vicinum rupibus antrum  
Vulcani; quid agant venti quas torqueat umbras  
Aeacus, unde alius furtivae devehat aurum  
pelliculae, quantas iaculetur Monychus ornos'

referendas esse ad Valerii librum I, animadvertit iam Ianus Parrhasius.

1) Varronis frgm. contulit A. Riese in libro „de Terentii Varonis saturar. Menipp. reliquiis“. Lipsiae 1865 p. 261 sqq.

2) cf. Sueton. ed. Reifferscheid p. 59.

quaenam aligeris secat anguibus auras  
 caede madens? quos ense ferit? miser eripe parvo  
 Aesonide! cerno et thalamos ardere iugales!

Aegid. Maserius in commentario ad I, 218 conclusit Valerium in deperdita carminis parte etiam Medae fugam, liberorum caedem, Creusae mortem describere voluisse.<sup>1)</sup> Neque enim verisimile est poetam ita ab exemplari suo discessisse, ab Apollonio, qui carmen felici Argonautarum reditu finivit, et repugnare mihi videntur versus quoque prooemii 1—4, ex quibus apparet Valerium opus suum Argo navi in lucidum sidus mutata finivisse. Quod si poeta compluribus locis mentionem fecit posteriorum Iasonis et Medae factorum magis hoc eius poeticae arti et ingeniotribuendum esse censeo, quam consilio nos ad res postea narrandas relegandi.

Quae cum ita sint, primo obtutu Baehrensium recte iudicasse videtur, cum diceret, ea quae deessent in Argonauticis metienda esse summa materiae, quae poetae imitanda restaret apud Apollonium inde a versu IV, 361, et libenter concederemus illam suffecturam fuisse ad quattuor libros conficiendos, si suo more tractasset. Sed contra eam sententiam graves iustaeque existunt dubitationes, si et Valerii carmen, quod habemus, comparamus cum Apollonii opere et deperditam vel potius imperfectam

1) Eandem sententiam nostris temporibus defendit Gustavus Meyncke in libro 'Quaestionum Valerianarum' Bonnae 1865 edito (p. 31), neque vero ullam aliam causam attulit, nisi quod tribus locis I, 218, V, 454, VIII, 251 puerorum caedis mentio feret. Sed propter causas supra iam prolatas fieri non potuisse credo, ut omnia illa describeret poeta, praesertim cum etiam Peliae mortem, quam item praesagit I, 811 sqq., ceteraque canere debuisset, neque quae secuntur usque ad Medae in Colchida terram reditum omittere potuisset, quippe quae commemorantur V, 680 sqq. Fortasse ea proprio carmini reservarerat Valerius, quod si vita tempusque suppeditassent, post Argonautica nostra condidisset.

carminis partem ex paucis, quae nobis praesto sunt in priore parte significationibus, restituere conamur.

Non meum esse puto hoc loco denuo componere locos, ubi Valerius aut in summa carminis et oeconomia, quam vocant, imitatus est Apollonii Argonautica aut in singulis versibus, qui optime collecti sint in Thilonis prlg. p. XII sq., itemque supersedere possum, discrepantias earumque vel vitia vel virtutes referre, de quibus, qui plura scire vult, legat quae Weichertus composuit in libro, de vita et carmine Apollonii Rhodii (Misenaë 1821 § 41 sqq.) et Thilo in prlg. p. XI sq. novissimusque Ernestus Reuss in dissertatione, cui inscripsit ‚Observationes Valerianae‘ p. 11 (Marburgi 1871). Atque efficitur illis comparationibus, ut Valerius, quantum in priore carminis parte se adplicaverit exemplari suo, tantum in posteriore ab eo discesserit. Imprimis autem a quinti libri v. 215, ex quo Argonautae in Colchida terram venerunt, atque animus Medaeae contra Iasonis amorem pugnantis describitur longe aliam viam narrationis ingressus est et nescio, an aliis fontibus usus vel ipsius ingenio poetico fretus ipse multa — velut totum VI librum — nova inseruerit. Cuius rei non satis rationem habuisse, gravissimum est vitium ratiocinationis Baehrensii. Nam quin in reliqua quoque parte multa mutaturus fuerit poeta, si carmen perficere potuisset, dubium non esse potest, cum pauci loci ex quibus quidquam de extrema parte concludi potest, id satis iam demonstrent.

Atque primum quidem constat Valerium in octavo libro descripturum fuisse mortem Absyrti, quippe cuius miserum exitum iam queratur in quinti libri vv. 457 sq.:

,filius hunc iuxta primis Absyrtus in annis  
dignus avo quemque insontem meliora maneret.‘

Neque vero ullum testimonium, quo indicatur illum a

Medea ipsa<sup>1)</sup> aut eius culpa caesum esse inveniri, quamquam occasiones non deessent, iam Meynckeus observavit l. c. p. 54. Itaque libenter mihi persuasi Valerium non secutum esse Apollonium in descriptione lustrationis per Circen factae, propter quam heroes longam illam per Eridanum Rhodanumque navigationem suscipere cogebantur. Quae mea sententia confirmatur etiam ea re, quod nullo modo Valerius sumere potuisse mihi videtur ex Apollonii carmine tales narrationes, quales sunt Eridanus et Rhodanus confluentes et cet., quae quidem temporibus Alexandrini poetae facile credi possent, neque vero ab aequalibus suis. Atque eo magis vitandae erant poetae, quod non necessariae veteris Argonautarum fabulae partes erant, sed descriptiones, quas Apollonius undique ex locorum fabulis repetitas carmini suo inseruerat.

At repugnare videntur VIII libri vv. 182—91, ex quibus Ergini gubernatoris verbis elucet, Valerium quoque recepissee Apollonii descriptionem, qui Argonautas per Istri fluminis partem in Adriaticum mare cadentem rediisse tradidit.

Sed ut in hac quoque descriptione Valerium ab exemplari suo discessisse putarem, commotus sum maxime

---

1) In versu V, 339 Eyssenhardtius in Mus. Rhen. vol XVII p. 390 pro ‚pueros‘ scribendum esse proposuit ‚puero‘ ita, ut referretur ad Absyrtum a Medea ipsa necatum.

Quam emendationem a Thilone quoque receptam iure Baehrensius praecedente Meynckeo reiecit. Neque enim Valerius puerum appellare potuit Absyrtum, qui dux esset exercitus Colchici et classis ad Medeam persequendam missae. Immo ‚pueri‘ hic, ut aliis quoque locis, sunt filii Medaeae et Iasonis, quorum caedes per matrem facta saepius commemoratur.

Nec mirum esse potest, quod coniunguntur res tanto temporum spatio diremptae, ut fuga Medaeae et caedes eius filiorum. Exstant enim eiusmodi exempla nonnulla (II, 210 in vaticinatione Mopsi et V, 440).

loco quodam C. Plini.<sup>1)</sup> Is enim in Naturalis Historiae libro III, 127/8, cum loquitur de Formione fluvio, qui est prope oppidum Tergeste: ‚hic‘, inquit, ‚anticus auctae Italiae terminus, nunc vero Histriae, quam cognominatam a fluvio Histro in Adriam effluente e Danuvio amne eodemque Histro exadversum Padi faucis, contrario eorum percussu mari interiecto dulcescente, plerique dixere falso, et Nepos etiam Padi accola. Nullus enim ex Danuvio amnis in mare Hadriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum descendisse non procul a Tergeste, nec iam constat quo flumine. umeris travectam Alpis diligentiores tradunt, subisse autem Histro, dein Savo, dein Nauporto, cui nomen ex ea causa est inter Aemonam, Alpisque orienti.‘

Apparet enim ex hoc loco primum quidem Valerii quoque temporibus credi, Argo navem prope Tergeste in mare Adriaticum venisse. Itaque mirum non esse potest, quod Valerius ea in re exemplar suum secutus est. Deinde autem elucet tum, cum satis iam illae regiones Romanis propter bella cum gentibus Istrum accolentibus gesta cognitae essent, intellexisse auctores, quam falsa fuisset sententia eorum, qui ex Danuvio flumine amnem in Hadriaticum mare effundi putarent.<sup>2)</sup> Itaque diligen-

1) Ludovicus Ieep in ‚Quaestionibus Fridericianis‘ p. 15 sq. primus, quantum scio, observavit, Plini illam narrationem referendam esse ad Pisandrum, poetam epicum perveterem, cuius fragmentum servatum est a Zosimo V, 29.

2) De eadem re Diodorus IV, 56, 7-8 ait haec: *Ὁ δὲ παραλειπτέον δ' ἡμῖν ἀνεξέλεγκτον τὴν ἱστορίαν τῶν ἀποφηναιμένων τοῦς Ἀργοναύτας ἀπὸ τὸν Ἴστρον πλείσσαντας μέχρι τῶν πηγῶν κατενεχθῆναι διὰ τῆς ἀντιπροσώπου ῥύσεως πρὸς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον. τούτους γὰρ ὁ χρόνος ἤλεγξεν ὑπολαβόντας καὶ τὸν εἰς τὴν Ἀδρίαν ἐκβάλλοντα τὴν ῥύσιν ἔχειν ἀπὸ τῶν αὐτῶν τόπων. Ῥωμαίων γὰρ καταπολεμησάντων τὸ τῶν Ἴστρον ἔθνος εὐρέθη τὰς πηγὰς ἔχον ἰ*

tiores, ut dicit Plinius, ad illum locum referebant navis travectionem, quam veterem et propriam partem fabulae Argonautarum fuisse videmus ex scholiis ad Apoll. IV, 284 (ed. Keil p. 498). Atque cur Valerium numero illorum diligentiorum non assignemus, nullam video causam. Itaque quin travectionem illam navis per heroes, quam Apollonius in Libya factam esse tradidit, Valerius collocaverit in Alpibus, dubium non est. Et cum mortem Canthi et Mopsi vatis, quos in Libya interiisse graecus poeta narravit, illius in Aeam transferret Valerius, huius omnino non commemoraret, verisimillimum mihi videtur, eum Argonautarum profectionem in Libyam factam plane omisisse.

Quae cum ita sint, cuicumque argumenta nostra probata erunt, facile concedet Valerium in ea, quae deest, carminis parte multum ab Apollonii descriptione discessurum fuisse. Qua via Argonautas redeuntes fecerit, incertum semper erit; itaque ego facio cum Heinsio qui poetam minime X libris argumentum complecti voluisse putavit. Fortasse autem multa ipse addidit poeta, sicut in altera parte carminis nobis servati fecit, ut assequeretur numerum XII librorum, quem post Vergili Aeneida plerosque poetas adfectasse exemplo praecipue Statii Thebaidos<sup>1)</sup> confirmatur. At id non ita pro certo affirmaverim, ut Baehrensium fecit, qui inde annum, quo mortuus sit poeta, constituere veritus non est. Totam eius ratiocinationem nunc collabi manifestum est.

Meo igitur iudicio Valerius Flaccus, postquam Vespasiano imperante pax illa facta est, qua poetis ad carmina condenda opus est, Argonauticis studere coepit,

*ποταμὸς ἀπὸ τετραράκοντα σταδίων τῆς θαλάττης. ἀλλὰ γὰρ τοῖς συγγραφεῦσιν αἰτίαν τῆς πλάνης φασὶ γενέσθαι τὴν ὁμωνυμίαν τῶν ποταμῶν.*

1) cf. Stat. Theb. XII, 816 ,nec tu divinam Aeneida tempta'.

quorum primum librum anno 74 vel 75 recitasse verisimile est. Quartum autem librum non ante annum 79 perfectum esse posse supra iam collegimus ex versibus illis IV libri, qui pertinent ad Vesuvii eruptionem. Atque cum ad reliquos IV libros conficiendos idem fere spatium temporis adhiberet, quod ad priores, circiter anno 85 vel 86 praematura morte litteris ereptus est, carmen autem imperfectum reliquit. Cui optime convenit testimonium illud Quintiliani ‚multum nuper in Valerio Flacco amissum esse‘ dolentis.<sup>1)</sup>

At bene scio sententiam meam valde repugnare usui poetarum et testimoniis veterum supra (p. 24) collatis, ex quibus unum plerumque annum ad singulos libros elaborandos excutiendosque consumerent.

Sed periculosissimum mihi esse videtur in tanta naturae et ingenii diversitate ex duobus vel tribus veterum scriptorum testimoniis quasi normam quandam constituere. Nonne iam Vergili et Saleii Bassi illa exempla dilucide ostendunt, quantum sit discrimen inter poetas? Nonne Vergilium superavit Ovidius, clarissimus ille veterum poetarum versificator, qui ipse de se dixit ‚quidquid tentabam, dicere versus erat‘? Multum enim interest, utrum poeta natura et ingenio ad canendum accedat, an arte et doctrina commotus.

Valerium autem non tam ingeniosum quam artificiosum poetam fuisse ipse concedes cum, quae fuerint eius studia, videris. Et dubito an nullum sit poetarum Romanorum carmen, quod ea perspicuitate, qua Valerii Flacci Argonautica, patefaciat studia auctoris, quae tanta fuerunt, ut ad illum quoque iure referre possimus Plini

---

1) Quomodo Baehrensius ex verbis Quintiliani: ‚multum nuper in Valerio Flacco amissum‘ elicere potuerit, unicum opus integrum a poeta docto relictum esse, assequi non possum.

Secundi<sup>1)</sup> de Silio Italico iudicium eum ,majore cura quam ingenio<sup>5</sup> scripsisse carmina dicentis.

## 3.

A. Cum primam partem quaestionis nostrae de studiis Valerii Flacci iamiam absolverimus comparando inter se eius Apolloniique carmina, ubi de certamine, utrum perfectum reliquisset poeta carmen necne, egimus, confestim curramus ad alteram, quae est de Valerii studiis Vergilianis.

Constat enim Valerium, ut in re ipsa rerumque ordine graecum poetam secutus esset, sic etiam formae et nonnullis locis compositionis exemplar sibi elegisse Vergili divinam Aeneida, quam illis temporibus plurimi poetae aemulari solerent. Cuius rei testes sunt non modo permulti versus, in quibus interdum verbo tenus Vergili sermonem expressit, sed etiam haud rarae descriptiones, quas carmini suo inseruit, velut in sexto libro catalogus et descriptio auxiliorum Scythicorum ex Aeneidos libris VII et VIII desumptus. Neque vero in singulis morari volumus, cum quaestio de necessitudine, quae intercessit inter Valerium et Vergilium iam a multis viris doctis tractata sit, quorum e numero hoc loco nominaverim Greiffium, qui in progr. Tridentino (1869) ,de C. Valerii Flacci Argonauticis cum Vergili Maronis Aeneide comparatis<sup>5</sup> scripsit. Cuius dissertationis prior pars maxime laudanda est, in qua agitur de similitudine compositionis maiorumque descriptionum. Alteram autem, ubi colliguntur singuli loci, qui verbis aut forma inter se congruunt nunc iam aliis eiusmodi quaestionibus supervacaneam redditam esse nemo mirabitur. Huc pertinent imprimis collectiones Woldemari Ribbeckii in appendice Vergili operum a fratre Ottone editorum, et

1) cf. Plini Sec. epp. III. 7. (Keil.)

Schenkelii (Stud. ad Arg. p. 371). Utramque autem denuo correctam auctamque adiecit editioni suae Baehrensus. Sed omnes viri docti rem non ad finem perduxerunt; multa restant exempla, quae omiserunt et quae ego, quantum potui, contuli. Sunt autem haec:

## Lib. I.

Val. 105 visi laude canunt manifesto in lumine  
Fauni

Vg. III. 105 visi ante oculos adstare iacentis  
in somnis, multo manifesti lumine.

Val. 121 fervere cuncta virum coetu.

Vg. IV. 407 opere omnis semita fervet.

Val. 251 ludoque educite noctem.

Vg. IX. 166 noctem custodia ducit insomnem ludo  
„Ge.III.378 Hic noctem ludo ducunt

Val. 206 tempus adest; age rumpe moras!

Vg. IV. 569 Eia age rumpe moras!

Val. 368 — voluitve ediscere vultus

Vg. VI. 755 — et venientem ediscere vultus

Val. 420 taurea vulnificoportatcaelataque plumbo

Vg. V. 404 terga boum plumbo insuta ferroque  
rigebant.

539 undat equis floretque viris

Vg. VII. 644 floruerit terra alma viris

592 sq. omnipotens regemque dedit; quem  
iussa vereri

saeva cohors . . .

Vg. I. 60 sqq. omnipotens... regemque dedit...  
602 qualis eram nondum vinclis et carcere  
clausus.

Vg. I. 53 Imperio premit ac vinclis et carcere frenat.  
688 infinditque salum et spumas vomit  
aere tridenti.

Vg. I. 35 laeti et spumas salis aere ruebant.  
 „ V. 142 infidunt pariter sulcos totumque dehiscit  
 convulsum . . . rostrisque tridentibus  
 aequor.

775 sqq. veteris sub nocte cupressi  
 sordidus et nulla pallens ferrugine taurus  
 stabat adhuc, cui caeruleae per cornua  
 vittae.

Vg. III. 63 sq. stant manibus arae  
 caeruleae maestae vittis, atraque  
 cupresso . . .

840 seu venit in vittis castaque in veste sa-  
 cerdos.

Vg. VI. 645 — longa cum veste sacerdos.

#### Lib. II.

168 oscula (ingeminant) iamque toris adque  
 oscula postibus ipsis.

Vg. II. 490 amplexaeque tenent postes atque oscula  
 figunt

223 — quosdam insomnes et cuncta tuentes

Vg. IX. 343 — vigilantem et cuncta videntem

312 — rapitur subito regina tumultu

Vg. II. 122 — vatem magno Calchanta tumultu pro-  
 trahit

347 — iam se regina locavit; post alii proceres.

Vg. I. 740 post alii proceres.

476 — arsere rogis certantibus agri

Vg. XI. 209 Certatim crebris collucent ignibus agri

595 sp. — iterum Aeolios Fortuna penates  
 spargit

Vg. IV. 21 sparsos fraterna morte penates.

#### Lib. III.

5 sq. nec palmite Bacchum Bithyno . . . satum

- Vg. Ge. II. 90 quam Methymnaeo carpit de palmite  
Lesbos.  
20 Dindyma sanguineis famulum bacchata  
lacertis.
- Vg. Ge. II. 487 virginibus bacchata Lacaenis Taygeta.  
152 sq. . . . Abarimque relinquit — semi-  
neces.
- Vg. V. 275 seminecem liquit saxo.  
167 sparsusque cerebro albet ager.
- Vg. XII. 36 Sanguine adhuc campique ingentibus ossi-  
bus albert
- „ V. 413 Sanguine cernis adhuc sparsoque  
infecta cerebro.  
380 sqq. adumbratum videtur ex Vg. VI.  
730 sqq.  
450 — procul agmine nostro  
et procul este mari cunctisque absi-  
stite bellis
- Vg. VI. 258 Procul o, procul este profani  
conclamat vates, totoque absistite luco.  
586 — luctu succensus acerbos, quid struat  
Alcides.
- Vg. IV. 235 Quid struit, aut qua spe . . .  
630 nec minus in sese generis dextrasque  
potentes  
esse ferunt.
- Vg. VII. 234 Fata per Aeneae iuro dextramque po-  
tentem.

## Lib. IV.

- 13 -- dabit impia poenas
- Vg. IV. 386 dabis improbe poenas.  
32 sq. hortator postquam . . . impulit  
Oenides

- Vg. VI. 529 hortator scelerum . . . Aeolides  
139 paciferaeque manu nequiquam insignia  
virgae
- Vg. VIII. 116 paciferaeque manu rarum praetendit  
olivae.  
313 — nomen mirantibus umbris hoc referes
- Vg. XI. 688 — nomen tamen haud leve patrum  
manibus hoc referes.  
393 Tartareo ululatu
- Vg. IV. 667 et IX. 477 femineo ululatu.  
390 mediis in cantibus exigit harpen.
- Vg. X. 815 validum namque exigit ensem.  
589 remeat qui victor ab oris
- Vg. II. 95 remeassem victor ad Argos.  
703 curasque resolvere ductor . .
- Vg. Ae. I, 302 . . . curasque resolvit.  
741 haud temere est: fato divum reor . . .
- Vg. IX. 375 haud temere est visum . . .

## Lib. V.

- 107 sq. . . alta Carambis — raditur
- Vg. III. 699 sq. saxa Pachyni radimus  
220 foedera et horrenda trepidam sub vir-  
gine puppim.
- Vg. XI. 507 oculos horrenda in virgine fixos  
243 currere per summi fulgor laquearia tecti
- Vg. VIII. 25 . . . summique ferit laquearia tecti  
273 iamque aderat magnis regum cum mili-  
bus urbi
- Vg. V. 75 ille e concilio multis cum milibus ibat  
328 inde viam . . . corripunt
- Vg. I. 418 corripuere viam  
388 at tu prima doce fandi tempusque mo-  
dumque

- Vg. IV. 475 — tempus secum ipsa modumque exigit  
389 nam mihi sollicito deus ignaroque loco-  
rum te dedit
- Vg. I. 332 ignari hominumque locorumque erramus  
400 ille— protinus urguet aere saeptus iter
- Vg. I. 411 At Venus obscuro gradientes aere saepsit.  
466 — nova lux offusa Cytacis
- Vg. IX. 110 nova lux oculis offulsit.  
479 meque nec huc enses araeque egere  
paternae
- Vg. II. 155 vos arae ensesque nefandi . . .  
588 et multa spirat coma flexilis aura
- Vg. GeIV. 417 dulcis spiravit crinibus aura  
690 instaurant mensas —
- Vg. VIII. 283 instaurant epulas.

## Lib. VI.

- 99 nec procul albentes — parmas
- Vg. IX. 548 parmaque inglorius alba  
149 maestaque . . . mater stupet aggere ripae
- Vg. VII. 106 gramineo sub aggere ripae  
230 fulmineumque — ingerit ensem
- Vg. IV. 579 vagina eripit ensem fulmineum  
351 quisque sibi et Graio poenam de corpore  
poscens
- Vg. II. 72 poenas cum sanguine poscunt  
420 sqq. Valerius secutus est Vg. XII. 750 sqq.  
590 contra aspera Iuno
- Vg. I. 279 aspera Iuno

## Lib. VII.

- 195 ingeminant caestus
- Vg. IV. 531 ingeminant curae  
266 per tibi si quis, ait, morituri protinus horror

- Vg. II. 142 per siqua est . . . fides  
 309 heu quid agat? . . .
- Vg. IV. 283 heu quid agat?  
 452 si tamen aut superis aliquam spem ponis
- Vg. II. 676 sin aliquam expertus sumptis spem ponis  
 in armis

## Lib. VIII.

- 117 corripit optatum decus extremumque  
 laborem
- Vg. Ecl. XI. Extremum hunc — mihi concede laborem  
 236 ipsa suam duplicem Cytherea coronam  
 donat et arsuras alia cum virgine gemmas
- Vg. I. 655 duplicem gemmis auroque coronam.

Haec exempla si addimus eis, quae Baehrensium l. c. contulit, circiter DC locis Valerium aut elocutionem Vergilii aut descriptionem imitatum esse invenimus. Unde optime apparet, quanta diligentia Vergili opera legerit lectaque in memoria tenuerit.

## B.

Venio nunc ad Valerii studia HomERICA. A veteribus iam editoribus observatum est, poetam nostrum permultis locis Homerum aemulatum esse. Quare mirum mihi videtur esse, quod adhuc nulla, quantum fieri potuit, plena et perfecta collectio illorum locorum exstat. Nam ea, quam vulgo citant editores ab erudito quodam Britanno in „Observationibus Miscellaneis“ (Amstelaedami 1734) facta, praeter sexti libri easque ne omnes quidem in illo libro imitationes Homeri paucas tantum complectitur. Itaque haud abs re mihi esse videtur omnes locos in quibus Valerius Homeri versus vel elocutiones expressit, quam potero, accuratissime colligere. Atque ne exscribam viri illius docti opus, locis in Observ. Miscell.

collatis breviter praemissis, ceteros, quos ab aliis inventos sumpsi, aut ipse inveni, per singulos libros perlustrabo.

Collati sunt in *Observ. Miscell. IV. p. 166* hi loci:

Valerii	et	Homeri
II, 147 sq.	„	II. I, 113 sq.
III, 327 sq.	„	II. VI, 414 et XXIV, 721
V, 302 sqq.	„	II. X, 3 sqq.
V, 617 sq.	„	II. II, 400
VI, 36 sq.	„	II. II, 484
VI, 161 sq.	„	II. XV, 679 sqq.*)
VI, 163—70	„	II. II, 145 sq., 459 sqq., 468, 95, 465, 781
VI, 173 sqq.	„	II. II, 445
VI, 178—81	„	II. IV, 478
VI, 182 sqq.	„	II. IV, 446 sqq.
VI, 345 sqq.	„	II. XVII, 128 sqq.
VI, 356 sqq.	„	II. XVII, 384 sqq.
VI, 396 sqq.	„	II. XVII, 593 et XVIII, 223
VI, 465 sqq.	„	II. XIV, 197—214
VI, 497	„	II. III, 175
VI, 559	„	II. IX, 406*)
VI, 569	„	II. IV, 477 (XVII, 301)
VI, 602 sqq.	„	II. V, 1 sqq.
VI, 607 sq.	„	II. XXII, 25 sqq.*)
VI, 621 sqq.	„	II. XVI, 433 sqq.
VI, 648 sqq.	„	II. V, 302 sqq.
VI, 688 sqq.	„	II. II, 700 (XII, 445 sqq.)
VI, 708 sq.	„	II. XVII, 51 sqq.
VI, 739 sqq.	„	II. XX, 293 sqq.
VI, 747 sqq.	„	II. XX, 325 sqq.

\*) Ex his locis notati asteriscis mihi iniuria a viro docto inter Homericas imitationes relati esse videntur. Conferatur e. gr. Val. VI, 161, comitumque celer mutator equorum Moesus cum Homeri vv. II. XV, 679 sqq.:

Quibus locis nunc ceteros, quos omisit vir doctus, adiungam et primum quidem aliquot exempla afferam, ubi Valerius pauca verba Homeri quasi sententias transtulit.

Ita respondent sibi:

**Val.** ,animosque mentemque' (I, 76) et Homeri ,*φρένα καὶ θυμὸν*', **Val.** ,venti ferentes' et Hom. ,*ἄνεμος φέρων*', **Val.** ,volventibus annis' (I, 505) et Hom. ,*περιπλομένων ἐνιαυτῶν*', **Val.** robur Herculeum' (I, 562) et Hom. ,*βίην Ἑρακληείην*' (Od. XI, 601), **Val.** ,purpuream exspuit auram' (III, 110)

*ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κελητίζεν εὐ εἰδὼς,  
ὅστ' ἐπεὶ ἐκ πολέων πύργους συναίρεται ἵππους,  
σεύας ἐκ πεδίοιο μέγα προτὶ ἄσιν δίηται  
λαοφόρον καθ' ὁδόν· πολέες τὲ ἐθήσαντο  
ἄνερες ἠδὲ γυναῖκες· ὁ δ' εὐπεδὸν ἀσφαλὲς αἰεὶ  
θρόσκων ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλον ἀμείβεται, οἱ δὲ πέτονται.*

Manifestum est apud Homerum descriptum esse desultorem quendam artem suam spectantibus monstrantem, cum Valerius verbis illis ,mutator comitum equorum celer' spectet ad usum militarem Moesorum, qui aliis quoque veterum scriptoribus optime notus est. Sic Aelianus in libro, cui inscripsit *Τακτικὴ θεωρία* c. 37 scribit: ,*Τάττεται τοιοῦτον χῆμα μάλιστα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ἰστρον βαρβάρους, οὗς καὶ ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς εἰδισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων ἵππων εἰς ἄλλους.*

Reliquos autem duos locos non esse ex Homero sumptos, qui legerit, facillime ipse intelleget, neque causis id confirmare necesse est. Conferas Valer. VI, 559:

centum lecta boum bellator corpora, centum  
pactus equos: his ille animam lucemque rependit  
crudelis.

et Homeri II. IX, 406.:

*λεῖστοι μὲν γάρ τε βόες καὶ ἵφια μῆλα,  
κιητοὶ δὲ τρίποδες τε καὶ ἵππων ξανθὰ κάρηνα·  
ἄνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λείσσι  
οὔθ' ἐλετή, ἐπεὶ ἄρ' κεν ἀμείβεται ἔρκος ὀδόντων.*

Similis ratio intercedit inter Val. VI, 607 et Hom. II. XXII,

et Hom. ,πορφύρεος θάνατος' (Il. V, 82), Val. ,nutritum missile ventis' (VI, 256) et Hom. ,άνεμοτρεφές ἔγχος' (Il. XI, 256), Val. ,flebile gaudens' (VII, 215) et Hom. ,δακρυόεν γελάσασα' (Il. VI, 484).

Maiora autem imitationum exempla sunt, quae nunc secuntur:

**Val. II, 87 sqq.**

,Mox etiam pavidae temptantem vincula matris  
solvere praerupti Vulcanum vertice caeli  
devolvit, ruit ille polo noctemque diemque  
turbinis in morem, Lemni cum litore tandem  
insonuit.'

**Hom. Il. I, 590 sqq.**

,ἦδη γάρ με καὶ ἄλλοι' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα  
ῥῆψε, ποδὸς τεταγῶν, ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο  
πᾶν δ' Ἴμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἱελίῳ καταδύντι  
κάππεσον ἐν Δήμῳ· ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν.'

**Val. II, 581.**

,et veteris tumulos praelabitur Ili, Dardaniumque patrem.'

**Hom. Il. XI, 166 sq.**

οἱ δὲ παρ' Ἴλου σῆμα παλαιοῦ Δαρδανίδαο  
— ἐσσεύοντο.

**Val. III, 398 sqq.**

,Est procul ad Stygiae devexa silentia noctis  
Cimmerium domus et superis incognita tellus,  
caeruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam  
Sol iuga sidereos nec mittit Juppiter annos.'

**Hom. Od. XI, 14.**

,Ἐνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμος τε πόλις τε,  
ἦέρι καὶ νεφέλη κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς  
Ἥλιος φασέθων καταδέχεται ἀκτίνεσσιν, . . .  
ἀλλ' ἐπὶ νῆξ' ὀλοή τέταται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

**Val. III, 89 sq.** Terrorque Pavorque, Martis equi.

**Hom. Il. XV, 119.**

ὡς φάτο (Ares) καὶ ὃ' ἵππους κέλετο Δεῖμόν τε Φόβον τε  
ζευγνύμεν.

Val. III. 465 sqq.

,Juppiter urgendum ceu summa Ceraunia nubem  
cum pepulit movitque iugis, fulsere repente  
et nemora et scopuli nitidusque reducitur aether.'

Hom. II. XVI, 297—300.

ὡς δ' ὅτ' ἄφ' ὑψηλῆς κορυφῆς ὄρεος μεγάλοιο  
κινήσῃ πυκινὴν νεφέλην στεροπήγερέτα Ζεὺς,  
ἔκ τ' ἔφρανε πᾶσαι σκοπιαὶ καὶ πρόονες ἄκροι  
καὶ νάπαι, οὐρανόθεν δ' ἄφ' ὑπερράγη ἄσπετος αἰθήρ.

Val. III, 707 sqq. — Vergil. XII, 206 sqq.

,hanc ego magnanimi spoliū Didymaonis hastam,  
quae neque iam frondes virides nec proferet umbras,  
ut semel est evulsa iugis ac matre perempta  
fida ministeria et duras obit horridas pugnas, testor.'

Hom. II. I, 234.

καὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους  
φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομῆν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,  
οὐδ' ἀναθλήσει· περὶ γάρ ῥά ἐ χαλκὸς ἔλειπεν  
φύλλα τε καὶ φλοιόν· ἦν δ' αὐτὲ μιν ὕψος Ἀχαιῶν  
ἐν παλάμῃς φνέουσι δικασπόλοι.

Val. III. 716. Vg. X, 844.

,— multaque comas deformat harena.'

Hom. II. XVIII, 23. Achilles χεύατο καὶ κεφαλῆς  
ἀμφοτέρῃσι χερσὶν ἐλὼν κόνην αἰθαλόεσσαν.

Val. IV, 24

stansque super carum talis caput edere voces.

Hom. II. II, 20.

στῆ δ' ἄφ' ὑπὲρ κεφαλῆς . . .

Hom. Odys. VI, 21.

στῆ δ' ἄφ' ὑπὲρ κεφαλῆς, καὶ μιν πρὸς μῦθον ἔειπεν.

**Valer. IV, 131 sq.**

(Neptunus) natumque et tristia linquens  
proelia sanguineo terras pater alluit aestu.

**Homer. II. XVI, 459.** *κατ' ἄνδρῶν τε θεῶν τε  
αἵματοέσσας δὲ ψιάδας κατέχευεν ἔραζε.*

**Valer. V, 378 sqq.**

Si dea, si magni decus huc ades, inquit, Olympi  
has ego credo faces, haec virginis ora Dianae.

**Homer. Od. VI, 150.**

*εἰ μὲν τις θεός ἐσσι, τοὶ οὐρανὸν εἶρὸν ἔχουσιν,  
Ἄρτεμιδί σε ἔγωγε, Διὸς κόρη μέγалоιο,  
εἰδός τε μέγέθός τε φνὴν τ' ἄγχιστα εἴσω.*

**Valer. V, 690—95.**

dixerat. instaurat mensas pacemque reducit,  
et iam sideream noctem dimittit Olympo.  
tunc adsuetus adest Phlegraeas reddere pugnas  
Musarum chorus et citharae pulsator Apollo,  
fertque gravem Phrygius circum cratera minister.  
surgitur in somnos seque ad sua limina flectunt.

**Homer. II. I, 601—6.**

*Ὡς τότε μὲν πρόπαν ἤμαρ ἐς ἥλιον καταδύντα  
δαίνυντ', οὐδέ τι θυμὸς ἐδέετο δαιτὸς εἴσης,  
οὐ μὲν φόρμιγγος περικαλλέος, ἣν ἔχ' Ἀπόλλων,  
Μουσάων θ', ἀδ' αἶδιον ἀμειβόμεναι ὀπι καλῆ.  
αὐτὰρ ἐπεὶ κατέδν λαμπρὸν φάος ἡλίοιο,  
οἱ μὲν κακχείοντες ἔβαν οἰκόνδε ἕκαστος.*

**Valer. VI, 220 sqq.**

Quis tibi fatales unquam metuisset Amyclas  
Oebaliamque manum, tot, Rhyndace, montibus inter  
diviso totidemque fretis.

**Homer. II. I, 155.**

*οὐδέ ποτ' ἐν Φθίῃ ἐριβόλακι βωτιανείῳ  
καρπὸν ἐδηλήσαντ', ἐπειὴ μάλα πολλὰ μεταξὺ  
οὔρεά τε σκίοντα θάλασσά τε ἤχησσα.*

**Valer. VI, 365.**

*hinc tenet ardens*

*colla viri et molles galeae Gesander habenas.*

**Homer. II, III, 369 et 371.**

*Ἦ, καὶ ἐπαίξας κόρυθος λάβεν ἵπποδασείης.*

*ἄγχε δὲ μιν πολύκεστος ἰμάς ἀπαλὴν ὑπὸ δειρῆν.*

**Valer. VI, 555.**

*sanguinis ille globos effusaque viscera gestat  
barbarbus.*

**Homer. II, XX, 418.**

*— προτὶ οἷ δ' ἔλαβ' ἔντερα χερσὶ λιασθεῖς.*

**Valer. VI, 747 sqq.**

*ille super socias clementi turbine gentes  
erigitur, paulumque levi raptatus in aethra  
iam tandem extremas pugnae defertur in oras,  
forte ubi serus Hiber Issedoniaeque phalanges  
Marte carent solisque iuvant clamoribus agmen.*

**Homer. II, XX, 325 sqq.**

*Αἰνεῖαν δ' ἔσσευεν ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' αἰέρας.*

*πολλὰς δὲ στίχας ἠρώων, πολλὰς δὲ καὶ ἵππων*

*Αἰνεῖας ἔπερᾶλτο θεοῦ ἀπὸ χειρὸς ὀροῖσας,*

*ἶξε δ' ἐπ' ἔσχατιν πολυάϊκος πολέμοιο,*

*ἔνθα τε Καύκωνες πόλεμον μετὰ θωρήσσοντο.*

**Valer. VIII, 164.**

*— aegraque verba*

*errantesque genae; atque alieno ad gaudia vultu  
semper eras.*

**Homer. Od. XX, 347.**

*οἱ δ' ἤδη γραθμοῖσι γελοίων ἄλλοτρίοισιν.*

**Valer. VIII, 451 sqq.**

*si Pagasas vel Peliacas hinc denique nubes  
cerneret et Tempe tenui lucentia fumo:  
hoc visu contenta mori.*

**Homer. Od., I 57.**

*— ἀντὰρ Ὀδυσσεὺς,*

*ἰέμενος καὶ καπνὸν ἀποθρόσκοντα νοῦσαι*

*ἧς γαίης, θανέειν ἰμείρεται.*

In illis collectionibus et a viro docto in *Observat. Miscell.* et a me ipso nunc factis primo obtutu conspicua et insignis est summa illa frequentatio imitationum Homericarum, quae est in sexto libro tanta, ut iure maximam partem versuum ex Homeri carminibus mutuata esse<sup>1)</sup> contendere possimus. Huc si addimus, quod et catalogum heroum Scythicorum, Minyorum ἀριστείας, pugnam de Canthi corpore factam, Iovem, num Colaxem filium mori sineret, deliberantem totus ad exemplar Homeri carminis Βοιωτίας, Πανροζλείας et Iovis de morte Sarpedonis questus finxit, eum plane adplicasse sese in libro sexto condendo Homero patere mihi videtur. Itaque Valerium etiam illis locis, ubi ab Apollonio totus discessisset, non omni exemplari carere potuisse facile videmus.

Haec habui, quae dicerem de Valerii studiis Homericis.

## C.

Tertia pars meaque sententia gravissima quaestio- nis, quae est de studiis Valerii, versabitur in eruendis fontibus, quibus praeter Apollonii Argonautica ad carmen conficiendum usus sit poeta. Quae res quam difficilis sit, facile intellet, quicumque paulo attentius carmen perlustraverit. Quasi infectum esse dixerim poetam eadem cupiditate, qua Apollonius erat, implendi carmen suum nimia doctrina rebusque a vulgari traditione remotissimis. Neque in singulis solum rebus sed etiam in longis descriptionibus ea de causa ab exemplari suo discessit, quarum fontes in vestigare nunc mihi proposui..

1) Praetermittere occasionem non possum, quin laudem dissertationem Ottonis Bussenii quam de Valerii Flacci in adhibendis comparationibus usu scripsit (Lubecae 1872). In qua p. 9 comparationes ex Homero sumptae accuratius tractantur.

Atque primos, ut ita dicam, gradus in hac quaestione fecit Georgius Thilo, qui in prlg. VIII adnotavit, Valerium praeter Apollonii Argonautica etiam Diodori de Argonautarum expeditione narratione usum esse. Neque meo iudicio, quin artissime inter se cohaereant illae narrationes Valerii et Diodori, dubitari potest, at integrum est, utrum ex ipso Diodoro hauserit poeta an uterque potius eodem fonte usus sit<sup>1)</sup>, quia etiam, ubi consentiunt in re ipsa, in singulis discrepant. Exempla eius conexus recte affert Thilo narrationem Aesonis et Alcimedes mortis (Val. I, 700 sqq. — Diodor. IV, 50). Deinde fabulam de Hesiona, Laomedontis filia, quam ab Hercule cum Argonautis in Colchida eunte liberatam esse narrat, sumpsisse videtur ex Diodori IV, 42,<sup>2)</sup> fortasse, ut putat Thilo nomina quoque Circae et Persae. Adde quod in versibus I, 22—90 multa inveniuntur ex Diodoro (IV, 40) mutuata.

Illi fonti a Thilone invento nunc ipse ego ex illis versibus, quos modo dixi, adiunxerim alium,<sup>3)</sup> Pindarum dico, quem in IV sua Pythica oda notissima Argonautarum expeditionem praedicasse constat. Nam in do-

1) Fortasse hic fons erant Argonautica Dionysii Milesii, ut putavit Heyne in dissertatione 'de fontibus Diodori' (p. 57. ed. Bip.) aut Mytilenaei, ut coniecit bene C. Müllerus, in frgm. Historic Graec. volumine II p. 6., quae ipse citat Diodorus in IV. libro.

2) Erravit Thilo, cum diceret l. c. ab uno Diodoro Hesionae liberatae fabulam Argonautarum expeditioni assignatam esse. Eadem enim tradidit Hyginus quoque in fab. 89 (Bunte p. 82): 'Cum complures (scilicet virgines) consumptae essent et Hesiones sors exisset, et petris religata esset, Hercules et Telamon, cum Colchos Argonautae irent, eodem venerunt, et cetum interfecerunt'.

Mirum in modum illa narratio quadrat in ea, quae Valerius rettulit, neque primam, ut ait Diodorus, Hesionam monstro proditam esse (II, 480) et Telamonem fuisse Herculis comitem (II, 451).

3) De Germanici Arateis, unde fluxerunt pauci prooemii Valeriani versus, supra iam (p. 13) satis dictum est.

losa illa oratione, qua Pelias I, 40 sqq. Iasoni, ut aureum vellus repetat, persuadere conatur; hic alibi orationem, quam Pindarus regi adtribuit, Valerius ante oculos habuit. Neque enim eius causa solum eadem est idemque argumentum, sed etiam inter nonnullos versus similitudo mira quaedam neque fortuita exstat. Conferas ex. gr. Valerii vv. I, 51 sqq.:

„si mihi quae quondam vires . . .“

„olim annis ille ardor hebet . . .“

tu, cui iam curaeque vigent animique viriles et Pindari vv. IV, 280 sq.: *Ἄλλ' ἤδη με γεραιὸν μέρος ἀλιτίας ἀμφιπολεῖ σὸν δ' ἄνθος ἤβας ἄρτι κμαίνει.* Praeterea ab utroque fingitur umbra Phrixi a Pelia rege in somno visa, quae, ut vellus aureum reportetur in Graeciam, poscit.

Mira deinde discrepantia inter Apollonium et Valerium in catalogo quoque heroum exstat, qui expeditioni intererant. De quo uberrime nuper egit D. Kennerknecht in dissertatione Bambergensi (1888), cui inscripsit „Zur Argonautensage“. Is optime observavit Apollonium enumerasse LIV heroes secundum topographiam, quam vocant, patriae cuiusque herois; Valerius autem ex Argonautis Apollonii VIII omisit nomina, V alia addidit, tria nomina mutavit itemque ordinem heroum, quos enumerat, quo sedent in transtris navis ordine. A laeva parte Telamon, Hercules a dextra primus est, illum XVIII, hunc XXII remiges excipiunt. Reliquorum autem munera describuntur inde a versu I, 462.

Lynce est, observare caelum et sidera, Zetis et Calai temperare ceruchos, Orphei „docere carmine tonsas ire“, Iphicli „viros urere magnorum avorum laude“. Argo est cura navis et Tiphys, cursus tendere navis. Hic adiungitur Acastus, qui paulo ante profectionem navis accurrebat; praeterea accedunt Iason, omnis expeditionis dux, et

Hylas, Herculis comes. In illo ordine heroum, qualis exstat apud Valerium iure haesit Kennerknechtus Neque verisimile est poetam ita heroes partitum esse ut ab altero latere sederent XVIII, ab altero XXII viri Itaque summam veritatis speciem habere mihi videtur speciosa Kennerknechti coniectura, qui versus I, 403—10, in quibus enumerantur Peleus et Menoetius, post versum 382 transponere vult. Causas affert primum quidem, quod cum et versus 382 finiret verbo ‚magistros‘ et v. 410 ‚magistri‘ facile oculi librarii aberrare possent, deinde quod hac transpositione facta Peleus, quod expectamus, ad partem fratris sederet. Quarum ultima causa etsi probabilis non est, quia et Nelidae, Nestor et Periclymenus, separati sunt, tamen coniectura verisimilior est, quam ut eam non accipiam.<sup>1)</sup>

De nominibus autem heroum a Valerio mutatis nihil Kennerknechtus dixit.

Novum neque ab ullo scriptore Argonauticorum commemoratum est nomen Clymeni, quod legimus I, 369. Valerius vocat illum fratrem Iphicli, sed ne ea re quidem quidquam proficimus. Qui fuerit Clymenus atque unde sumpserit illud nomen poeta non liquet. Paulo magis est notum nomen Iphis I, 441 sq. item nostro modo poetae celebratum. Legimus enim in scholio ad Apoll. Arg. IV. 223. *Διονύσιος δὲ ὁ Μιλήσιος φησιν, ὅτι καταλαβὼν τὴν γαῖαν (scl. in reditu) ὁ Αἴητης παρα-*

1) III, 477 admodum iucunde Valerius descripsit Herculem remige fracto in terga ruentem:

‚percussit subito deceptum fragmine pectus  
atque in terga ruens Talaum fortemque Eriboten  
et longe tantae securum Amphiona molis  
obruit inque tuo posuit caput, Iphite, transtro.‘

Illa descriptio nullo modo quadrat in ordinem supra in catalogo observatum. Nam ex quattuor heroibus h. l. nominatis unus Eribotes sedebat in parte Herculis, ceteri erant in altero latere.

ταξαμένων τῶν ἀριστέων Ἴφιν ἀνεῖλεν Ἀργεῖον Εὐρυσθέως ἀδελφόν<sup>1)</sup> καὶ αὐτὸς πολλοὺς ἀπέβαλεν, et in scholio ad IV. 228 Διονύσιος ὁ Μιλήσιος φησιν ὅτι Αἰήτης ἐδίωξεν αὐτούς· οἱ δὲ ἀριστεῖς ἠγωνίζοντο ἀκοντίζοντες, οἱ δὲ περὶ τὸν Αἰήτην ἵππευον· ἔνθα καὶ Ἴφιν τελευτῆσαι τὸν Σθενέλου. Eurytheus autem erat filius Stheneli,<sup>2)</sup> ergo frater Iphidis. Certum igitur est Iphin quendam a Dionysio Milesio Argonautarum numero adtributum esse. Atque cum iterum iam Valerium ex illius Dionysii opere haurire animadvertamus, dubium non esse videtur, quin alii quoque locis, ubi conexum demonstrare non iam possumus, illo fonte usus sit.

Magnam difficultatem nobis praebet etiam nomen Deucalionis in I, 365 sqq.:

,mollique a litore Pellae

Deucalion certus iaculis et cominus ense  
nobilis Amphion, pariter quos edidit Hypso  
nec potuit similes, voluitve ediscere vultus.'

Apertum est Valerium hoc loco secundum morem suum fabulam notissimam Amphionis et Zethi mutasse aliaque confundisse. Unde petierit Hypsus matris nomen et cur Amphioni, Hyperasii filio iunxerit fratrem Deucalionem, cum ceteri appellent Asterium, plane latet.

Nestoris et Tydei nomina, quamquam unde inserue-

1) Mirum esse debet, quod Diodorus, qui eandem narrationem sine dubio ex eodem fonte (cf. supra p. 86) praebet, fratrem Eurysthei vocavit Iphitum IV, 48,4. τῶν δὲ διαφηγόντων Ταύρων ἀπαγγελάτων τῷ βασιλεῖ τὴν γενομένην ἐπίθεσιν, φασὶ τὸν Αἰήτην μετὰ τῶν περὶ αὐτὸν στρατιωτῶν διώξοντα τοὺς Ἕλληνας καταλαβεῖν πλησίον τῆς Θαλάττης. ἐξ ἐφόδου δὲ συνάψαντα μάχην ἀνελεῖν ἓνα τῶν Ἀργοναυτῶν Ἴφιον, τὸν Εὐρυσθέως ἀδελφόν τοῦ τοὺς ἄθλους Ἡρακλεῖ προστάξαντος.

Fortasse Diodorus fontem suum non satis inspiciens, ,Iphitus' scripsit loco ,Iphis', nominis ignoti.

2) cf. Apollod. Bibl. II, 4.5.5.

rit illa catalogo suo poeta nescimus, offensionem non praebent. Nam quo magis permaneret fabula Argonautarum expeditionis, eo plures heroes ei interfuisse dicebantur. Itaque facile fieri potuit, ut illos heroes in numero Argonautarum alicubi invenerit Valerius.

Maxime autem mirandum est, quod et Philoctetam,<sup>1)</sup> Poeantis filium, inter heroes enumeravit, quem postea Troiano bello interfuisse notum est, quod poeta non neglexit, cum caneret I, 390:

,tu quoque Phrixios remo, Poeantie Colchos  
bis Lemnon visure petis, nunc cuspide patris  
inclitus, Herculeas olim moture sagittas.'

Neque enim quisquam ex reliquis Argonautis praeter Nestora, quem omnium maxime longaevum fuisse constat, belli Troiani particeps fuit, sed nonnullorum tantum filii. Certam aliquam causam, cur Philoctetam nominaverit poeta, eruere non possumus, praesertim cum eius praeter hunc locum obiter modo III, 722 mentio fiat.

Nulla modo autem probabilis, partim plane falsa mihi videtur sententia Stenderi, qui in libello, quem scripsit *de Argonautarum ad Colchos usque expeditione fabulae historia critica* (Kiliae 1874) p. 12: *Ex quibus (scilicet heroibus ab uno Valerio celebratis), inquit, Deucalion cognatus est Aetiae, Nestor autem et Tydeus ob eam causam videntur adlati esse, quod filios habuere, qui ad Troiam pugnaverunt, Iphis corruptum nomen est, cum feminae appellatio sit (Ilias IX, 667<sup>2</sup>), Clymenus propterea additus esse videtur, quod frater est Iphicli. Adparet*

1) Philoctetae et Deucalionis nomina invenimus quoque in catalogo heroum Hygini (fb. XIV), sed in altera parte, quam Schmidt in editione sua iure ut interpolatam eiecit. Collata enim videtur a docto quodam viro, qui ex aliis Argonautarum scriptoribus heroum illorum nomina addidit.

2) Πάτροκλος δ' ἐτέρωθεν ἔλεξαστο πᾶρ δ' ἄρα καὶ τῷ  
Ἴφρις εὐζωνος, τὴν οἱ πόρε δῖος Ἀχιλλεύς.

igitur mythum de bello Troiano in componendo Argonautarum catalogo adhibitum esse.' Relegat praeterea nos auctor ad Apollodori catalogum, ex quo relatio ad belli Troiani heroes imprimis eluceat. Falsum est in illa ratiocinatione Deucalionem esse cognatum Aetae; nam vidimus eum apud Valerium esse fratrem Amphionis, quem Colchidos regis cognatum fuisse nusquam inveni. Deinde supra satis demonstrasse mihi videor Iphidis nomen in numero Argonautarum certis testimoniis probatum esse. Quamquam nemo negare potest, loco illo Homérico id esse feminae appellationem. Quod autem dixit Stenderus Clymenum esse additum, quia frater esset Iphicli, valde desidero ullum testimonium, quo Clymenum quendam Iphicli fratrem fuisse comprobetur. Equidem nullum invenire potui. Multo probabilius mihi videtur Nestora esse additum, quod Periclymeni frater esset. Itaque cum Tydeus quoque illis temporibus optime expeditioni interesse potuerit, unus restat Philoctetes, propter quem mythum de bello Troiano in componendo Argonautarum catalogo adhibitum esse ego non statuerim, quamquam iustam causam cur nominaverit illum Valerius praeter eius rerum remotissimarum singulariumque amorem afferre nullam possum.

## D.

Devenimus nunc ad gravissimam eamque difficillimam huius quaestionis partem, in qua de Valerii Flacci studiis geographicis agendum erit. Valde miror huic rei adhuc a nullo viro docto curam impensam esse,<sup>1)</sup>

1) Schoenemanni commentatio de Geographia Argonautarum Gotting. 1788 nunc obsoleta est, quia fundamentum quasi totius quaestionis fecit auctor *Ἀργοναυτικά* Orpheo assignata, quae nunc christianis temporibus adtribuere soliti sumus. Restat autem perutilis index locorum omnium, quos in tota expeditione visitasse aut praetervectos esse Argonautas veteres scriptores tradiderunt.

etsi non pauca loca et imprimis catalogus auxiliorum Scythicorum, qui est in libro sexto, exstant, quae poetam minutissimis studiis geographicis operam dedisse ostendant.

Manifestum est Valerium ad illa studia primum quidem adductum esse materia ipsa, quam sibi tractandam elegerat. Quae flagitabat, ut communicaret nobiscum poeta nomina populorum aut locorum, ubi adpulerunt heroes navem.

Deinde autem haud parvi momenti fuisse videtur exemplum Apollonii Rhodii, qui carmen suum tanta mole descriptionum locorum et nationum confersit, ut non modo suavitatem carminis minueret sed etiam saepe numero continuitatem narrationis turbaret.

Quo vitio etsi se abstinuit Valerius tamen in eius quoque carmine multae inveniuntur descriptiones geographicae. Quarum maximam partem ab exemplari suo mutuatus partim verbo tenus expressas partim mutatas paulum aut amplificatas in suum carmen transtulit.

Multa autem ex aliis fontibus ipse addidit. Quos investigare priusquam coeperimus, primum conferamus locos, ubi Apollonium Rhodium Valerius secutus est, atque initium faciamus a libro secundo, ubi, quae primi praetervecti sunt heroes, loca commemorantur.

Congruunt inter se:

Val. II, 6 obliqua templa Tisaeae Dianae

Ap. I, 568 — *Τισαίην ἐν κηλοὶ ὑπὲρ δολιχὴν θεὸν ἄκρην.  
μέλπεν Οἰάγοιο παῖς Ἄρτεμιν, ἢ κείνας  
σκοπιὰς*

*ἀμφιέπεσεν.*

Val. II, 9 iam Sciathus subsedit aquis, iam longa recessit

Sepias, attollit tondentes pabula Magnes  
campus equos, vidisse putant Dolopeia busta.

- Ap. I, 582 sqq. ἔδυνε δὲ Σηπτιάς ἄκρη,  
φαίνεται δ' εἰναλίη Σκίαθος, φαίνοντο δ'  
ἄπωθεν  
Πειρεσιαὶ Μάγνησά θ' ὑπεύδιος ἠπειροιο  
ἀπτή καὶ τύμβος Δολοπήϊος . . .
- Val. II, 11 intrantemque Amyron curvas quaesita per oras  
Ap. I, 596 μέλλον ὑπέκ ποταμοῖο βαλεῖν Ἀμύροιο ῥέεθρα.  
Val. II, 13 sqq. . . . inde salutant  
Eurymenas; recipit velumque fretumque  
reversus  
auster et in nubem Minyis repetentibus  
altum  
Ossa redit. metus ecce deum damnaque  
bello Pallene.
- Ap. I, 597 sqq. κεῖθεν Εὐρυμενάς τε πολυκλίστους τε φά-  
ραγγας Ὀσσης . . .  
ἀντὰρ ἔπειτα κλίτεια Παλλήραια.
- Val. II, 75 cum primus equis exegit anhelis  
Phoebus Athon.  
II, 78 et iam surgit Vulcania Lemnos.
- Ap. I, 601 ἦρι δέ νισσομένοισιν Ἄθω ἀνέτειλε κολώνη  
608 εἰρεσίη κραναήν Σιντηίδα Ἀἴμων ἴκοντο.
- Val. II, 431 tunc tenuis Lemnos transitque Electria tellus,  
Threiciis arcana sacris . . .
- Ap. I, 915 ἐσπέριοι δ' Ὀρφῆος ἐφημοσύνησιν ἔκελσαν  
νῆσον ἐς Ἥλέκτρος Ἀτλαντίδος . . .
- Val. II, 443 — proraque accesserat Imbros.
- Ap. I, 924 τῇ δὲ περαιήν Ἰμβρον ἔχον καθύπερθε.
- Val. II, 622 iam iuga Percotes . . .  
exsuperant Pityamque vadis transmissaque  
puppi  
Lampsacus.
- Ap. I, 932 Περκώτην δ' ἐπὶ τῇ καὶ Ἀβαρνίδος ἡμαθόεσσαν  
ἡμόνα ζαθέην τε παρήμειβον Πιτύειαν

- Val. II, 630 sqq. descriptio Cyzici urbis = Ap. I. 936 sqq.
- Val. III, 35 teque etiam medio flaventem, Rhyndace, ponto
- Ap. I, 64 sq. Ἄλλ' ὅτε δὴ Μυσῶν κελιμημένοι ἠπειροιο  
Ῥυνδακίδας προχοῆς . . . παρεμέτρουν
- Val. IV, 99 sqq. descriptio Bebrycum eorumque regis  
= Apoll. II, 1 sqq.
- Val. IV, 561 descript. Cyaneon = Apoll. II, 317.
- Val. IV, 589 Regna Lyci et alter Acheron  
= Ap. II, 352.
- Val. 599 sq. Quid tibi nubifera surgentum rupe  
Carambin  
quid memorem, quas Iris aquas aut  
torqueat Ancon?
- Apl. II, 360 ἔστι δέ τις ἄκη . .  
πάντοθεν ἠλίβατος, καὶ μιν καλέουσιν Κά-  
ραμβιν.
- II, 367 . . . μετὰ τὸν δ' ἀγγίξουσ' Ἴρις.
- Val. IV, 601 proxima Thermodon hic iam secat arva:  
memento.  
inclita Amazonidum magnoque exorta Gradivo  
gens ibi.
- Ap. II, 370 . . . ἐπὶ δὲ στόμα Θερμώδοντος  
373 σχεδόθεν δὲ πόληες  
τρῖσαι Ἀμαζονίδων —
- Val. IV, 611 gens Chalybum, duris patiens cui cultus in  
arvis  
et tonat adflicta semper domus ignea massa
- Ap. II, 374 . . μετὰ δὲ συμγερώτατοι ἀνδρῶν  
τροχέην Χάλυβες καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν,  
ἐργατῖναι τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.
- Val. IV, 697 nigrantia quam iam  
litora longinquire exirent flumina Rhebae.

- Ap. II, 651 — αἶψα δὲ τοίγε  
 ῥῆβαν ὠκρόην ποταμὸν σόπελόν τε Κολώνης,  
 ἄκρην δ' οἱ μετὰ δηθὰ παρεξενέοντο Μέλαιναν.
- Val. V, 75 praeterit et festa vulgatum nocte Lyaei  
 Callichoron; nec vana fides, his Bacchus in  
 undis  
 abluit eos rorantes sanguine thyrsos.
- Ap. II, 904 sqq. ὦκα δὲ Καλλιχόροιο παρὰ προχοῆς  
 ποταμοῖο  
 ἤλυθον, ἐνθ' ἐνέπουσι Λιδὸς Νυσήιον ὕια,  
 Ἰνδῶν ἱνίκα φῦλα λιπὼν κατενάσσατο  
 Θήβας,  
 ὀργιάσαι, στήσαι τε χοροῖς ἄντροιο πά-  
 ροιθεν,  
 ᾧ ἐν ἀμειδίτους ἀγίας ἠυλίξειο νύκτας
- Val. II, 85—100 descriptio Stheneli busti  
 = Ap. II, 911—29.
- Val. V, 101 sqq. ac fugit omne  
 Crobiali latus et fatis tibi, Tiphy, negatum  
 Parthenium, ante alios Triviae qui creditur amnis  
 fidus et Inopi materna gratior unda.  
 mox etiam Cromnae iuga pallentemque Cytora  
 teque cita penitus condunt, Erythia, carina.  
 iamque reducebat noctem polus: alta Carambis  
 raditur et magnae pelago tremit umbra Sinopes.  
 Assyrios complexa sinus, stat opima Sinope,  
 nympa prius blandosque Iovis quae luserat ignes  
 caelicolis immota procis: deceptus amatae  
 fraude deae nec solus Halys, nec solus Apollo.
- Ap. II, 936 καὶ δὴ Παρθενίοιο ῥοῆς ἄλμυργέντος,  
 προητάτου ποταμοῦ, παρεμέτρεον, ᾧ ἐνὶ κόρη  
 Αἰτωίς, ἄγορθεν ὅτ' οὐρανὸν εἰσαναβαίνη,  
 ὃν δέμας ἡμεροῖσιν ἀναψύχει ὑδάτεσσιν.  
 νυκτὶ δ' ἔπειτ' ἄλληκτον ἐπιπροτέρωσε θέοντες

- Σήσαμον αἰπεινούς τε παρεξενέοντ' Ἐρυ-  
δίνους,  
Κρωβιάλον, Κρώμναν τε καὶ ἄλγεντα Κύντωρον.  
ἔνθεν δ' αἶτε Κάραμβιν ἄμ' ἡλίιο οβολῆσιν  
γνάμψαντες . . ἤλαννον.
- Π, 946 αὐτίκα δ' Ἀσσυρίης ἐπέβαν χιθονός, ἔνθα  
Σινώπην,  
Θυγατέρ' Ἀσωποῖο, καθίσσατο καὶ οἱ ἦπασσεν  
παρθενίην Ζεὺς αὐτὸς, ἕποσχεσίησιν δο-  
λωθεῖς.
- Π, 952 ὧς δὲ καὶ Ἀπόλλωνα παρήπαφεν ἐνθηθῆραι  
ἴεμενον, ποταμὸν ἐπὶ τοῖς Ἄλυν
- Val. V, 120 transit Halys longis fluens anfractibus Iris  
saevaue Thermodon medio sale murmura  
volvens.
- Ap. Π, 962 λείπον Ἄλυν ποταμὸν, λείπον δ' ἀγχίροον Ἴριον  
970 τῆς οἱ γ' ἐν κόλπῳ, προχοῆς ἐπι Θεριμ-  
δοτος κέλσαν.
- Val. V, 140 Nocte sub extrema clausis telluris ab antris  
pervigil auditur Chalybum labor; arma  
fatigant  
ruricolae, Gradive, tui.
- Ap. Π, 1001 νυκτί τ' ἐπιπλομένη Χαλύβων παρὰ γαῖαν  
ἴκοντο;  
οὐ δέ ποτέ σφιν  
1006 ἤως ἀντέλλει καμάτων ἄτερ, ἀλλὰ κελαινῇ  
λιγνίη καὶ καπνῷ κάματον βαρὴν ὀτλείουσιν.
- Val. V, 147 inde Genetaei rupem Iovis, hinc Tibarenum  
dant virides post terga lacus, ubi deside mitra.  
feta ligat partuque virum novet ipsa soluto
- Ap. Π, 1009 τοὺς δὲ μετ' αὐτίκ' ἔπειτα Γενηταίου Διὸς  
ἄκρην  
γνάμψαντες σώοντο παρῆξ Τιβαρηίδα γαῖαν.

ἐνθ' ἐπεὶ ἄρ' κε τέλωνται ὑπ' ἀνδράσι τέλνα  
 γυναῖκες,  
 αὐτοὶ μὲν στενάχουσιν ἐνὶ λεχέεσσι πεσόντες,  
 κράατα δησάμενοι· τὰ δ' εὖ κομέουσιν ἔδωδ' ἢ  
 ἀνέρας, ἧδὲ λοετρὰ λεχώια τοῖσι πένονται.

Val. V, 150 Vos quoque non notae mirati vela carinae  
 Mossyni, vos et stabulis Macrones ab altis  
 Byzeresque vagi, Philyrae a nomine dicta  
 litora, quae cornu pepulit Saturnus equino.

Ap. II, 1016 γαῖαν ἄμειβον,  
 ἧ ἔνι Μοσσύνιοι ἀν' οὔρεα ραιετάουσιν.

1231 ἠκτί τ' ἐπιπλομένη Φιλυρήϊδα νῆσον ἄμειβον,  
 ἐνθα μὲν Οὐρανίδης Φιλύρῃ Κρόνος . . .  
 παρελέξατο . . . ὃ δ' ἐξ ἐνῆς ἀνορούσας  
 ἔσσυτο χαιτήντι φηὴν ἐναλίγιμος Ἴππη.

1242 κείθεν δ' αἶ Μάκρωνας . . . παρεξένοντο  
 Βύζηράς τ' ἐπὶ τοῖσιν.

Val. V, 154 sqq. descriptio Caucasi et Promethei  
 = Ap. II, 1247 sqq.

Val. V, 177 sol propius flammabat aquas, extremaque  
 fessis  
 coeperat optatos iam lux ostendere Colchos,  
 magnus ubi adversum spumanti Phasis in  
 aequor  
 ore ruit.

Ap. II, 1260 ἐννήχοι δ' Ἄργοιο δαημοσύνησιν ἴκοντο  
 Φᾶσιν τ' εἰρὸν θέοντα, καὶ ἔσχατα πείρατα  
 πόντου.

Val. VIII, 185

haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Histri,  
 fundere non uno tantum quem flumina cornu  
 accipimus; septem exit aquis, septem ostia pandit.  
 illius adversi nunc ora petamus et undam,

quae latus in laevum ponti cadit; inde sequemur  
 ipsius amnis iter, donec nos flumine certo  
 proferat inque aliud reddat mare.

Ap. IV, 282 ἔστι δέ τις ποταμός, ὑπατον κέρας Ὀκεανοῦ,  
 εἰρὸς τε προβαθῆς τε καὶ δλκάδι νηὶ πε-  
 ρῆσαι

Ἰστρόν μιν καλέοντες ἐκὰς διετεκμήρατο . .  
 288 ἀλλ' ὁπότ' ἂν Θορήκων Σκυθέων τ' ἐπιβή-  
 σεται οὔρους,  
 ἔνθα διχῆ τὸ μὲν ἔνθα μετ' Ἰονίην ἄλα  
 βάλλει  
 τῆδ' ὕδωρ, τὸ δ' ὄπισθε βαθὺν διὰ κόλ-  
 πον ἴησιν  
 σχίζομενος πόντου Τρινακρίου εἰσανέχοντα.

Val. VIII, 217

Insula Sarmaticae Peuce stat nomine nymphae,  
 torvus ubi et ripa semper metuendus utraque  
 in freta per sacros Hister descendit alumnos.

Ap. IV, 309 Ἰστορῶ γάρ τις νῆσος ἔεργεται ὄνομα Πεύκη,  
 τριγλώχιν, εὔρος μὲν εἰς αἰγιαλοὺς ἀνέχουσα,  
 στεινὸν δ' αὐτ' ἀγκῶνα ποτι ῥόον ἀμφὶ  
 δὲ δοιαὶ  
 σχίζονται προχοαί.

Contulimus adhuc illos locos ad geographiam spec-  
 tantes, ubi Valerius secutus est descriptionem Apollonii  
 atque videmus eos maximam partem pertinere ad urbes  
 vel populos, quos in expeditione Argonautae praetervec-  
 ti sunt. Neque vero dubitari potest, quin poeta nisi prae-  
 matura morte, quominus carmen suum perficeret, impe-  
 ditus esset, in reliqua quoque, quae nunc desideratur  
 parte, multis locis Apollonium, quantum posset, imitaturus  
 fuerit, cum ex duobus exemplis, quae extremo loco

attuli, appareat Valerium in reditu heroum artissime se adplicare graeco poetae studuisse. Inde efficitur, primum fontem Valerii in rebus geographicis fuisse Apollonii Rhodii Argonautica. Qui quibus fontibus usus sit, nunc inquirere nihil interest, praesertim cum talis quaestio nullius pretii sit ad investigandos fontes, ex quibus hauserit poeta in illis locis, ubi ex ipsius studiis geographicis quaedam carmini suo intexuerit.

Ad illos igitur nunc locos transeuntes primum quidem quales sint, videamus. Atque constant ex nominibus nonnullis urbium, insularum, fluminum, quae poeta addidit sumptis ex Apollonio, deinde ex descriptione Ponti Euxini (IV, 711—32) denique ex catalogo ducum populorumque Scythicorum, quae Persae contra Aetam pugnanti auxilio venerunt (VI, 42—170). Eorum, quos primo loco commemoravi, neque ita est magnus numerus neque sunt graves difficultates, quae nobis eorum originem quaerentibus obviam fiunt.

Nam cum poeta II, 445/6, ubi narrat Hesionen ab Hercule et Telamone liberatam, quam fabulam ex Diodoro vel eius fonte sumpsisse Valerium supra (p. 86) suspicatus sumus, canat:

Thessala Dardaniis tunc primum puppis harenis  
adpult et fatis Si ga eo litore sedit,<sup>1</sup>

quin significationem loci ex eodem fonte hauserit, ex quo fabulam, nemo dubitabit.<sup>1)</sup>

Locis ex Homeri carminibus derivatis iam supra adtribuimus II, 581/2

,veteris tumulos praelabitur Ili  
Dardaniumque patrem<sup>1</sup>

1) Legimus enim apud Diodorum IV, 42. *Ἐπειτα ἐκ τῆς Ἰωλκοῦ τὸ ἐκπλοῦν ποιησαμένους καὶ παραλλάξαντας τὸν τε Ἄθω καὶ Σαμοθράκην χειμῶν περιπεσεῖν καὶ προσερχθῆναι τῆς Τρωάδος πρὸς Σίγγειον.*

(cf. Hom. Il. XI, 160 ,οἱ δὲ παρ' Ἴλου σῆμα παλαιῶ  
*Λαοδανίδαο . . . ἐσσεύοντο*) et Val. III sqq.:

,est procul ad Stygiae devexa silentia noctis  
 Cimmerium domus et superis incognita tellus  
 caeruleo tenebrosa situ, quo flammea nunquam  
 Sol iuga, sidereos nec mittit Juppiter annos.'

(cf. Hom. Od. XI, 18 sqq.).

Restant igitur tantum nomina, quae addidit Valerius II, 622 ,Parium infame fragosis vadis' et ,Lampsacum cultu Priapi dei inelytam', III, 35, Procneson insulam,' 36 ,Scylaceon spumosum fracta ab unda' denique IV, 600 flumen quoddam ,Ancona'. Quibus ex nominibus admodum notis unum ,Anconis' fluvii magnas difficultates praebet, quibus in tollendis plerique editores frustra desudarunt. Nam quos attulerunt locos Plini Nat. Hist. VI, 1, 4 ,abest a Ponti ore CC portus Acone veneno aconito dirus' et Ammiani Marcellini XXII, 8, 17, ,portus Acone', nobis nullius pretii esse posse apparet non modo, quod expressis verbis de portu non de fluvio, eoque ,Acone' non ,Ancone' agitur, sed etiam quod non prope Irin et Thermodonta flumina sed in Bithynia est. Unus Ptolemaeus V, 6, 2 in enumeratione oppidorum Cappadociae nominat oppidum Anconem, sed ne hoc quidem fluvius ille Valerii explicatur. Quae cum ita sint optime Wagnerus in commentario suo ad versum IV, 600 animadvertisse mihi videtur Valerium non satis inspexisse Apollonium II, 369 canentem:

*κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπέροχος ἀγκῶν  
 ἐξάνεχει χώρας.'*

Quo factum esse, ut promunturium in mare cubiti instar procurrens haberet pro fluvii nomine, praesertim cum ,ἐξάνεχειν' saepenumero apud Apollonium significaret exitum fluvii. Huc accedit, quod in V libro (120), ubi repetit Valerius secundum exemplum Apollonii loca antea

iam nominata, Halyn et Irin et Thermodonta flumina enumerat, Ancona autem plane omittit, quippe quod desit nomen in Apollonii carminis II, 963 et 970. Habemus igitur eius modi neglegentiae exemplum, quale supra iam ad versum II, 14 (Eurymenae) statuimus.

Priusquam nunc autem ad quaestionem de fontibus descriptionis Ponti et catalogi auxiliiorum Scythicorum instituendam accedamus, pauca praemonenda sunt, quae pertinent imprimis ad nomina ducum et populorum, quae exstant in libro sexto. Atque primum quidem nullo modo oblivisci debemus nobis rem esse cum poeta. Quare mirari non possumus, quod permulta nomina a poeta ficta nusquam invenimus alias apud veteres Graecos et Romanos et quod multifariam mores habitusque singulis nationibus adtributos videmus, qui nisi in poetae ingenio et mente nati non sunt. At tamen restat iam pars satis magna, quam in disquisitionem vocare possumus et quae, ut ad finem admodum certum rem perducamus, concedet. Deinde in quaestione nobis discernendae erunt duae partes, quarum in altera nomina sola populorum tractabimus, in altera mores eorum et adtributa. Denique ratio habenda erit nobis textus quoque corruptionis, quae quin in nominibus maximam partem rarissimis et incognitis summa sit, dubitari nequit.

Quibus difficultatibus expositis nunc initium quaestionis facientes primum quidem ex catalogo eorum populorum vel locorum<sup>1)</sup> nomina tollere volumus, quae cum ab uno Valerio sint commemorata, aut ab ipso poeta excogitata aut ex fonte nobis non servato sumpta

1) Cum longum esse mihi videatur ducum quoque nomina in disquisitionem vocare satis habeo dixisse, ea maximam partem derivata esse a nominibus terrarum vel fluviorum regionum illarum, in quibus nati sunt duces. Eius rei exempla exstant: Choaspes V, 585, Odrassa V, 595, Iaxartes V, 597, Rhyndacus VI, 220 (cf. III, 35),

sint necesse est. Huc pertinent gentes Torynorum (VI, 144) Cessorum (130 Cessaeaeque manus), Ballonitorum (161); deinde mons Ambenus (85) et fluvius Taras (102).

Ad reliquorum autem nominum fontem indagandum magno nobis usui est Plini Natur. Histor. liber quartus, ubi ipse quoque brevi in conspectu regionem illam Scythicam descripsit. Valde quidem dubito, num ipsum Plini opus adhibere potuerit Valerius, cum id anno demum 77 Tito imperatori traditum esse constet, quo tempore Valerius iam studia sua ad carmen condendum necessaria perfecisse verisimile est, sed ut res se habet, Plini testimonia cum eodem fere tempore orta sint, quo Valerii Argonautica tum propter indices fontium ab ipso Plinio additos permagni nobis momenti sunt, praesertim cum cetera opera Romanorum geographica ante Valerium Flaccum scripta praeter Pomponii Melae chorographiam fere tota deperdita sunt. Inter Melam vero et Plinium artissimam intercedere necessitudinem non modo apparet, quod Plinius Melam in indice fontium librorum III—VI geographiam continentium enumerat, sed etiam accuratis quaestionibus patefactum est virorum doctorum. Ex quibus ego praecipue facio cum Schwedero, qui cum in compluribus aliis libellis tum in progr. Kiliensi a. 1879: Die Concordanz der Chorographie des Pomponius Mela und des Plinius (N. H. Buch III—VI) inscripto demonstravit utrumque eodem fonte usum esse atque fuisse eum chorographiam Augusti vel potius chorographiam Romanam, cuius qui fuerit auctor constitui quidem non

---

Ambenus VI, 251 (cf. VI, 85), Auchus VI, 60 (a populo Auchetarum VI, 132), Melas VI, 196, Tyres VI, 201 et cet., et cet.

Permulta autem nomina a poeta inventa sunt aut aliunde repetita, velut Anxuris nomen VI, 68. Illud enim sumptum esse videtur ex Vergili Aeneidos X, 544, ubi unus ex Turni regis sociis idem nomen habet.

possit, sed quae post Sallustii Historias — eas enim ab auctore chorographiae excerptas esse confirmatur fragmentis Sallustianis — et ante Pomponii Melae chorographiam scripta sit. Valde mihi Schwederi quoque sententia arridet, qui l. c. p. 18 putavit, quam Strabo septies citaverit *χορογράφον* vel *χορογραφίαν*, cuius auctorem nullum appellet Strabo, eandem esse chorographiam Romanam. Atque idcirco auctorem non esse nominatum, quod illa chorographia iussu Augusti elaborata esset a magistratibus, ut esset quasi dux per terras populosque orbis terrarum ab Agrippa depicti.

Paulo longius in illarum rerum explicatione versatus sum, quia Valerium quoque doctrinam suam ex illa chorographia hausisse puto. Quam ad sententiam adductus sum potissimum comparatione nominum Scythicarum gentium et descriptionis Ponti Euxini apud Valerium VI, 42—170 et in Plini Nat. Hist. libro IV, 12, 75—91. Atque quo facilius cognoscas, quo spectet quaestio, conferamus locos, ubi ambo consentiunt. Invenimus enim omnia fere populorum nomina, quae enumerat Valerius in catalogo auxiliorum Scythicorum etiam apud Plinium illo loco, quo brevem regionum Ponti Euxini conspectum fecit.

Contulimus igitur primum quidem nomina regionum populorumque (Val. VI, 40 sqq. et Plin. IV, 12, 80 sqq.).

Plinius IV.	Valerius VI.
80 Sarmatae	162 Sarmatae
Scythae degeneres	86 degeneresque Sindi
Jazyges	122 Jazyges
81 regnum Vannianum	115 Vanus vates
Basternaei.	96 Batarnae.
82 omnis Tyra oppido nomen imponens ubi antea Ophiussa dicebatur.	85/86 linquitur Tyra et gelidis pollens Ophiussa venenis.

## Plinius IV.

- 83 Siraci.  
 Inde silvestris regio Hylaeum mare quod adluitur cognominavit.  
 — mox Acesinus.  
 84 a tergo lacus Buges.  
 amnes Gerrhum et Hypanim.  
 85 regio Scythiae Sindica nominatur.  
 88 Auchatae.  
 Neuroe.  
 Geloni.  
 Thyssagetae.  
 Essedones.  
 Arimaspi.

## Valeris VI.

- 129 Siraci.  
 74 Hylaea cum gente.  
 69 Acesinaque agmina.  
 68 qui lacum cinxere Bycen.  
 67 potaque Gerrus, quos efferat unda.  
 147 abeunt Hypanim.  
 86 degeneres Sindi.  
 132 Auchates.  
 122 Neurus dux.  
 510 Geloni.  
 135 Thyrsagetes.  
 750 Issedoniaeque phalanges.  
 131 insons Arimaspe.

Miratus sit fortasse quispiam, cur illam collectionem fecerim, cum nondum omnium gentium nomina complexus sim. Sed elegi illam ipsam Plini descriptionis partem, quod uno tenore longe plurima nomina continet. Reliqua enim eadem nominantur sed passim dispersa, cum Plinius in descriptione geographica certum iter inierit. Quo factum est, ut regiones inter Pontum et Caspium mare sive Hyrcanum sitae in sexto demum libro enumerentur, ubi si quaesiveris, reliquorum populorum nomina a Valerio conlata plurima invenies. Valerius autem, ut sibi placuit, nomina populorum catalogo suo inseruit nulla ratione habita ordinis regionum, in quibus incolebant. Qua in re eum praeter chorographiam Romanam fortasse et picta quadam orbis imagine usum esse, cuius exemplum recentiorum temporum nunc iam habemus in tabula, quam vocant Peutingerianam, haud plane abnegaverim.

Tali modo facillime mirum consensum inter Valerium et Plinium Melamque, apud quem omnia fere illa nomina exstant, intellegere possumus.

Quae ratiocinatio ni recta est, quin ex illa chorographia multa quoque eorum fluxerint, quae de moribus consuetudinibusque populorum dixit Valerius, dubitari nequit, etsi in hac potissimum re non pauca ab ipso poeta inventa esse credenda erunt. Sed hic certiore quasi fundamento quam in quaestione de nominibus facta innitimur, quod praeter chorographiam alium fontem summa probabilitate constituere possumus.

Usus enim est Valerius in describendis Scytharum moribus Herodoti historia. Iam si perlustramus, quae dicit poeta inde a versu VI, 48 de Colaxe, rege Bisaltarum, conexus inter Valerium et Herodotum luce clarius patet. Neque enim solum nomen Colaxis sumptum est ex Herodoti libro IV, 5, sed etiam Colaxis origo ficta est ad exemplar historiae de Scytha, Herculis et Echidnae filio (IV, 9) traditae.<sup>1)</sup> Ex IV, 46 fluxisse videntur versus Valerii VI, 81 sqq. in quibus plaustra fuisse domos Coelaletorum dixit. In IV, 3 certiores nos facit Herodotus, cur Scythae audiant degeneres, vel metuant paterno crimine verbera<sup>2)</sup> (Val. VI, 86/7). Multa alia exempla praetereo<sup>2)</sup> cum non tam certis locis definienda sint, quam ex tota descriptione deprompta; et persaepe ea, quae Herodotus totius Scythicae gentis insignia indicavit, a Valerio uni tantum genti assignata sunt.

1) Ex Herodoto quoque mutuatum est nomen Tibisenorum ostiorum<sup>1)</sup>. Nominat enim Tibisin flumen ex Haemo in Istrum cadens IV, 49. Fortasse nomina quoque Noae et Alazonis fluminum sumpta sunt ex Her. IV, 49 et 17.

2) Unum iam afferam exemplum, quod quidem non spectat ad catalogum nostrum. Nam quae Valerius V, 417 de Sesostri, Colchidos gentis auctore, dixit, repetita videntur ex Herod. II, 103-4.

Tali modo cum fontes, ex quibus Valerius ad catalogum populorum Scythicorum condendum hausisse videtur, exposuerimus, nunc restat, ut paucis verbis absolvamus de descriptione Ponti Euxini a poeta IV, 711—32 facta. Dubitandum non est, quin, si recta sit sententia nostra de priore fonte prolata, eodem quoque illo loco poeta usus sit. Quod optime confirmatur eis, quae apud Plinium IV, 76 et Melam I, 102 legimus cum Valerii versibus multis locis plane congruentia.

Quae cum ita sint, fontibus Valerii geographicis constitutis recte contendimus poetam summis studiis geographicis operam dedisse, quae eo pluris aestimanda sunt, quod spectent ad partem orbis terrarum, cuius regiones populique tum nondum satis explorati erant.

Praetermittere occasionem non possum, quin, quoniam agitur nunc de descriptione Ponti Euxini, adiungam quasi extra causam quaestionem, quae, quamquam a nostris causis admodum remota est, tamen memoratu dignissima mihi esse videtur. Ex illa enim descriptione eruere possumus fontem, unde tota Romanorum auctorum geographiae scientia fluxerit.

Constat primum quidem Romanos ut in plurimis disciplinis ita in geographia quoque maxime pependisse a Graecis auctoribus. Graecorum autem omnis quaestio geographica tribus praecipue definitur viris Hecataeo, Eratosthene, Ptolemaeo, quorum ad scripta per longum tempus sequentes scriptores recurrere solebant, sive excerpserunt ea, sive correxerunt aut aggressi sunt velut Herodotus Hecataeum, Strabo aliique Eratosthenem. Quae cum ita sint, quo tempore Valerius scripsit valuisse Eratosthenis opera geographica et quasi ultimum fontem vel fundamentum fuisse cuiusvis descriptionis geographicae Romanorum colligere debemus.

Id vero re vera quoque accidisse nunc demonstrare

conabor, cum Eratosthenis fragmenta (collecta a Bernhardyō ‚Eratosthenica‘ Berol. 1829 et a Bergero in praeclaro libro, cuius titulus ‚Die geographischen Fragmente des Eratosthenes‘ Lips. 1880), minora sint, quam ut ex eis conexus ille dilucide perspici possit. Qua in re auxilio nobis venit descriptio Ponti Euxini, quae cum apud plurimos geographos Latinos exstat nostram ad quaestionem aptissima est.

Exordium faciamus autem a nostro poeta qui IV, 711—32 cecinit haec:

‚Tum freta, quae longis fuerant impervia saeculis,  
ad subitam stupere ratem, Pontique iacentis  
omne solum regesque patent, gestesque repostae.  
non alibi effusis cesserunt longius undis  
litora, nec tantas quamvis Tyrrhenus et Aegon  
volvat aquas, geminis nec desint Syrtibus undae  
nam super huc vastos tellus quoque congerit amnes.  
non septemgeminum memorem quas exitus Histri,  
quas Tanais flavusque Tyres Hypanisque Melasque  
addat opes, quantosque sinus Maeotia laxent  
aequora. flumineo sic agmine fregit amari  
vim salis hinc Boreae cedens glaciatis auris  
Pontus et exorta facilis concrevere bruma.  
utque vel immotos ursae rigor invenit amnes,  
vel freta versa vadis, hiemem sic unda per omnem  
aut campo iacet, aut tumido riget ardua fluctu,  
atque hac Europam curvis anfractibus urget,  
hac Asiam Scythicum specie sinuatus in arcum.  
illic umbrosae semper stant aequore nubes  
et non certa dies, primo nec sole profundum  
solvitur aut vernis cum lux aequata tenebris,  
sed redit extremo tandem in sua litora tauro.’

Iam videamus, quae de illo mari tradiderunt geographi Latini. Atque primum quidem Pomponius Mela

in chorographiae libro I, 102: ‚hic, inquit, iam sese ingens Pontus aperit, nisi qua promunturia sunt, huc atque illuc longo rectoque limite extentus, sinuatus cetera, sed quia contra minus quam laevam et dextram abcessit mollibusque fastigiis donec angustos utrimque angulos faciat inflectitur, ad formam scythici arcus maxime incurvos. brevis, atrox, nebulosus, raris stationibus, non molli neque harenoso circumdatus litore, vicinus aquilonibus, et quia non profundus est fluctuosus atque ferrens, olim ex colentium saevo admodum ingenio Axenus, post commercio aliarum gentium mollitis aliquantum moribus dictus Euxinus.’

Deinde Plinius quoque compluribus locis Hist. Nat. mentionem fecit. Sic IV, 76 ‚Dein vastum, inquit, mare, Pontus Euxinus, qui quondam Axenus, longe refugientes occupat terras magnoque litorum flexu retro curvatus in cornua ab his utrimque porrigitur, ut sit plane arcus Scythici forma.

IX, 49. ‚piscium genus, ait, omne praecipua celeritate adulescit maxime in ponto. causa multitudo amnium dulcis inferentium aquas.’

Maximi autem pretii nobis est testimonium Ammiani Marcellini, cuius fontes, quamquam ipse tempore multo posteriore fuit, veterrimos fuisse constat. Is enim in excursu de terris circum Pontum sitis, qui est in ‚Rerum gestarum’ lib. XXII, 18,9. ita scripsit: ‚Hoc modo fractum et participatione maris utriusque finitum iamque mitescens in aequoream panditur faciem, quantum potest cadere sub aspectum late diffusum et longe. omnis autem eius velut insularis circuitus litorea navigatio viginti tribus dimensa milibus stadiorum, ut Eratosthenes adfirmat et Hecataeus et Ptolemaeus alique huiusmodi cognitionum minutissimi scitatores, in speciem Scythici arcus nervo coagmentati geographiae totius adsensione formatur.’

Idem auctor XXII, 8, 46 ,Omnis autem, inquit, circumfluo Pontus ambitu et nebulosus est et dulcior aequorum ceteris et vadosus, quod et concrescit aer ex umorum spiramine saepe densatus et inruentium undarum magnitudine temperatur, et consurgit in brevia dorsuosa limum globosque adgerenti multitudine circumvenientium fluviorum,<sup>1</sup> et

XXII, 8, 48 ,quidquid autem, ait, eiusmodi pontici sinus aquilone caeditur et pruinis, ita perstringitur gelu, ut nec amnium cursus subtervolvi credantur nec per infidum et labile solum gressus hominis possit, vel iumenti firmari quod vitium nunquam mare sincerum sed permixtum aquis amnicis temptat.<sup>1</sup>

Quos locos arta necessitudine contineri, qui paulo attentius legerit, nemo negabit. Quare magni nobis commodi est, quod Ammianus Marcellinus in primo, quem ex eius opere attulimus, loco nomina appellat auctorum ex quibus mensuram litoris ponti et eius formae imaginem sumpserit.

Uberrime meaque sententia rectissime de Ammiani fontibus geographicis disputavit V. Gardthausen, in dissertatione, cui inscripsit: ,Die geographischen Quellen Ammians' (Lips. 1873), quem ego potissimum sequor.

Illius de nostra Ponti Euxini descriptione iudicio assentitus est et Theodorus Mommsenus in commentatione, cui inscripsit ,Ammians Geographica'.<sup>1</sup>)

Atque observavit vir doctus Ammianum, cum appellaret tres summos Graecorum geographos Eratosthenem, Hecataeum, Ptolemaeum aliosque, ad augendam rei narratae probabilitatem a veritate abscessisse. Nam in Ptolemaeo, cuius opus iam exstat, nihil eiusmodi narratum est. Et Hecataeo bene abiudicavit Gardthausen illam

1) In Hermae Vol. XVI, p. 602 et 624.

sententiam, cui adscripserunt Claussen in collectione Hecataei fragmentorum et Ukertus in geographia Graecorum et Romanorum III, 2, 154, quia cetera eius fragmenta nullum ostenderent usum talium imaginum geographicarum, qualis est comparatio ponti cum arcu Scythico. Itaque unus restat Eratosthenes, ex quo Ammianus illa verba transtulisse putandus est. Qua de causa recte Bernhardy et Bergerus illum locum fragmentorum Eratosthenicorum collectioni suae inseruerunt.

Comprobatur illa sententia Gardthauseni meo arbitrio positione quoque verborum, ut Eratosthenes adfirmat et Hecataeus et Ptolemaeus aliique ex qua elucere mihi videtur auctorem uno teste, ex quo re vera descriptionem suam hauserat, non contentus ceteros quasi subsidio adiunxisse.

Itaque si re vera illa Ammiani descriptio Ponti Euxini fluxit ex Eratosthenis opere geographico, quin et Plini, Melae, Valerii, quas contulimus supra, aliorumque descriptiones ad Eratosthenis geographiam recurrere verisimillimum sit, nemo dubitabit. Quare id quod antea coniectura modo assecuti sumus, Eratosthenem Valerii temporibus quasi fundamentum omnium auctorum geographicorum fuisse, nunc in uno exemplo certis veterum testimoniis comprobari, sat multis verbis demonstrasse mihi videor.

#### E.

Sequitur nunc illa pars quaestionis de studiis Valerii Flacci institutae, ubi conferuntur singuli loci, in quibus vel ab Apollonio vel a pervulgata tum fabularum rerumque traditione discessit velut ea in re, quod V, 65 post Tiphyn mortuum non Ancaeam gubernatoris munere functum esse dixit, sed Erginum, Neptuni filium. Iam Thilo (prlg. VIII) observavit, Valerium fortasse

secutum esse Herodorum; legimus enim in schol. ad Apollonii Arg. B. 895: Ἡρόδοτος Ἐγγυῖόν φησι κνβερονῆσαι τὴν Ἀργὴν μετὰ τὸν θάνατον Τίφωτος.

Levioris momenti atque, ut puto, ab ipso poeta facta est discrepantia in fabula Typhoeos, quam legimus II, 23 sqq. ,scopulis sed maximus illis

horror abest, Sicula pressus tellure Typhoeus.

Hunc profugum et sacras revomentem pectore flammās,  
 ut memorant, presum ipse comis Neptunus in altum  
 abstulit implicuitque vadis totiensque cruenta  
 mole resurgentem torquentemque anguibus undas  
 Sicanium dedit usque fretum cumque urbibus Aetnam  
 intulit ora premens, trux ille eiecat adesi  
 fundamenta iugi; pariter tunc omnis anhelat  
 Trinacria, iniectam fesso dum pectore molem  
 commovet experiens gemitu reponit inani.'

Quod si Valerius Typhoea sub Sicilia insula iacere<sup>1)</sup> fingit, sequitur Ovidium, quem in descriptione quoque imitatus est. Is enim in Metamorph. V, 364 canit haec:

,vasta giganteis ingesta est insula membris  
 Trinacris et magnis subiectum molibus urguet  
 aetherias ausum sperare Typhoea sedes —  
 nititur ille quidem pugnatque resurgere saepe

1) Fabula Typhoeos a Iovis fulgure icti et sub insula quadam pressi pervetusta est. Iam apud Homerum legimus (II. II, 781 sq.)

γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε Διὶ ὡς τετρακιεσάωντα  
 χωμένῳ, ὅτε ἀμφὶ Τυφωεῖ γαῖαν ἰμάσση  
 εἰν Ἀργείοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι ἐνθάς.

De insula autem, quae eius corpori iniecta est apud poetas ambigitur. Aetnam Typhoeos caput premere primum cecinit Pindarus in Pythica oda I (cf. Strabo XIII, 4) alii aliam tradiderunt velut Vergilius IX, 716/7

,tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile  
 Inarime Iovis imperiis imposta Typhoeo.'

dextra sed Ausonio manus est subiecta Peloro,  
 laeva, Pachyne, tibi, Lilybaeo crura premuntur,  
 degravit Aetna caput: sub qua resupinus arenas  
 eiecat flammamque fero vomit ore Typhoeus.  
 saepe remoliri luctatur pondera terrae  
 oppidaque et magnos devolvere corpore montes,  
 inde tremit tellus.'

Plerique poetae sub Sicilia insula iacere fingunt Enceladum sicut Vergilius quoque in Aen. III, 578. A Valerio ipso inventa est descriptio illa elegantissima Neptuni Typhoea fulmine percussum comis prensis per mare trahentis, cum in vulgari fabula Iuppiter ipse fugientem giganta persequatur atque in eius caput insulam torqueat. Facile fieri potuit, ut Valerius totum hunc locum componeret imaginis cuiusdam memor fictae vel pictae illis temporibus sat clarae. Quod nullo modo abhorre ab usu poetarum compluribus ipsius Valerii locis comprobatur. Optimum eius modi exemplum exstat V, 184 sqq.

,ac dum prima gravi ductor subit ostia pulsu,  
 populeos flexus tumulumque virentia supra  
 flumina cognati medio videt aggere Phrivi,  
 quem comes infelix Pario de marmore iuxta  
 stat soror, hinc saevae formidine maesta novercae  
 inde maris pecudique timens imponere palmas.'

Hoc loco quin poeta descripserit monumentum quoddam tum Romae notum mihi dubium non videtur. Neque minus verisimile est Valerio ante oculos fuisse imaginem, cum faceret versus II, 415 sq., in quibus describuntur res ab Hypsipyla chlamydi intextae, quam Iasoni abeunti dono dedit:

,quin et Iovis armiger ipse  
 accipit a Phrygio iam pocula blanda ministro'  
 Exstat enim etiamnunc gemma, cui insculptus est

Ganymedes Iovis aquilae potionem dans (cf. Lipperti Dactyliothecam I, 22). His exemplis adiungi possunt complures deorum descriptiones, in quibus poeta statuas imitatus est. Sic I, 455/6 legimus:

,celsaque semiferum contorquens frena luporum  
surgis ab ostrifero, medius, Neptune, Geraesto.'

Notum est Neptunum ab artificibus saepe fictum esse curru duorum vel quatuor equorum vehentem. Atque ut his equis capita luporum fortasse adderentur ab artificibus eo tempore, quo Pergamis imprimis ars floruit, quae tales res insanas adamavit, fieri potuit. Eiusmodi imaginis memor Valerius illos versus fecit, neque enim alio modo intellegere possum, cur tam miram descriptionem carmini suo inseruerit.

Similis locus meo iudicio invenitur et I, 678:

,ubicunque rotis horrendus equisque  
stas, pater, atque ingens utrimque fluentia Triton  
frena tenet,'

ubi sine dubio poeta opus antiquum ante oculos habuit.

Restat nunc unus iam locus, de quo luculenter egit D. Kennerknecht l. c. p. 17. Agitur de caelaturis in foribus aedis Solis in Colchide, quas depinxit Valerius V, 418 sqq. Ex illis unam vv. V, 435—37 descriptam ita:

,textitur Argoa pinus Pagasaea securi  
iamque eadem remos, eadem dea nectit habenas  
ipse subit nudaque vocat dux agmina dextra'

iure Kennerknecht putat esse imitationem imaginis, quam etiam nunc habemus in compluribus ectypis, quorum notissimum est apud Muellerum in 'Monumentis vet. artis' I, no. 238, tab. XXII.

Sed iam missos faciamus locos ad artem spectantes et redeamus ad reliquas discrepantias Valeriani carminis, quarum e numero unum saltem exemplum afferam, quo

optime demonstratur, poetam captasse occasionem sapientiae suae praedicandae, cum a vulgari fabularum traditione discederet. Narrationem dico de Io, quam III, 333 cecinit Orpheus. Fecit enim Io filiam Iasi regis, non ut vulgo legimus Inachi. Cuius rei, quantum scio unum exstat aliud testimonium Apollodori in biblioth. II, 3, 1 dicentis: Ἄργον δὲ καὶ Ἰσμήνης, τῆς Ἄσωποῦ, παῖς Ἴασος οὗ φασὶν Ἰὼ γενέσθαι. Κάστωρ δὲ ὁ συγγράψας τὰ χρο- νικά καὶ πολλοὶ τῶν τραγικῶν Ἰνάχου τὴν Ἰὼ λέγουσιν. Sed haec hactenus.

## F.

Restat nunc iam ultima pars quaestionis de studiis Valerii, in qua inquiremus quos poetas Romanos praeter Vergilium, de quo supra iam fusius dictum est, et quibus locis imitatus sit Valerius. Quod cum raro accideret atque pertineret ad duos tantum poetas Ovidium et Lucanum obiter paucis verbis rem tetigissem, nisi Baehrensius in praefatione editionis suae p. VI—IX meo indicio multo plus iusto invecus esset in Carolum Schenkelium, qui in „Studiis suis ad Val. Arg.“ locos contulit, ubi Ovidium exemplari fuisse Valerio putavit

Nam etsi unusquisque libenter concedet Baehrensia illa de fortuita aut conscia imitatione argumenta rectissime optimeque exposita esse, tamen timeo ne iniusta in Schenkelium ira incensus necessariam diligentiam in iudicando vir doctus non adhibuerit.

Ipsam enim illam necessitudinem, quae non tam similitudine singulorum verborum plerumque tritissimorum posita sit<sup>1)</sup> quam quae cognoscatur in similitudine rerum et sententiarum, intercedere inter Ovidium et Valerium libere contendo.

1) Quomodo de talibus saepe diiudicandum sit, vide in Ieepii Claudiani editione II, p. CXLVI.

Ratio enim et via, qua describit Medeam contra Iasonis amorem pugnantem Valerius inde a quinto libro, orationes, quas secum habet Medea, omnes simillimae sunt narrationi Ovidii (Metam. VII, 1 sqq.), ut passim singulae sententiae plane congruant. Idem accidit meo arbitrio in narratione de Hesiona ad scopulum adfixa apud Valerium et de Andromeda Ovidii (Metam. IV, 670 sqq.). Longum est hoc loco omnes versus singulos describere, neque attentum lectorem arcta necessitudo utriusque descriptionis fugere potest. Tali modo autem si concesserimus Valerium in carmine faciendo carminibus Ovidii usum esse, nulla iam exstat causa, cur singulis locis illum imitatum esse Valerium negemus. Quamquam libenter fateor non omnia, quae attulit loca Schenkelius habenda esse numerum imitationum de industria factarum.<sup>1)</sup>

Lucanum quoque fuisse inter poetas, quos aemulatus est hic alibi Valerius, iure Baehrensii concessit. (p. IX.)<sup>2)</sup>

Atque nunc finem facientes de studiis Valerii Flacci, quae ad carmen condendum fecerat, si illa perlustraverimus computabimusque, facile unusquisque consentiet mecum Valerium ‚maiore cura quam ingenio‘ carmen suum scripsisse dicente.

Itaque mirum esse non potest, poetam in singulis

---

1) Exempla earum imitationum pauca adferam, quorum numerus facile augeri potest. Cf. Val. VIII, 375 sq. — Ovid. Met. VIII, 213 sq.; Val. II, 247. — Ov. Fast. IV, 295; Val. II, 231/2 — Ovid. Trist. III, 10, 5 et cet. Schenkl. in Stud. a. V. Arg.

2) Ut earum quoque imitationum exempla quaedam proferam praeter unum locum a Baehrensi notatum, conferantur Val. I, 619 — Lucan. III, 627; Valer. II, 527 — Lucan. III, 470; Val. VI, 31 — Lucan. VII, 510 aliaque.

libris perficiendis maius temporis spatium consumpsisse, quam multos alios poetas; unde efficitur, ut nihil obstet, quominus Valerium primo libro anno 74 vel 75 recitato quartum post Vesuvii demum eruptionem anni 79 perfecisse putemus.

Perducta nunc ad finem tota de Valerii vita et carmine quaestione si quaerimus, quidnam constituerimus, id breviter ita complecti possumus:

C. Valerius Flaccus Balbus Setinus appellatus sic, fortasse quod ex Setia, parvo Latii oppido oriundus erat, Vespasiano imperante paucis annis post Hierosolyma a Tito deleta carmen condere coepit, de Argonautarum navigatione rebusque gestis, cuius primum librum Vespasiano imperatori dedicatum c. annum 74 vel 75 recitavisse publice videtur. Sed priusquam ei carmen perficere et perpolire licuisset, c. anno 85 vel 86 praematura morte litteris ereptus est; quo factum est, ut nunc iam septem eius carminis libri integri et maior pars octavi exstarent.

De carmine autem Argonauticon bene ab aequalibus Valerii iudicatum esse, optime ostendit testimonium Quinctiliani. Atque elaboravit poeta carmen tarde; quod comprobatur ea re, quod anno demum 79 quartum librum perfecit, et excusatur magnis studiis, quae ad poema condendum fecerat. Materiam sumpsit ex Apollonii Rhodii Argonauticis, cui plane se adplicavit neque vero ita, ut non permultis locis ipsius ingenio poetico habenas inmitteret aut mutaret graeci poetae descriptiones. Carmen autem scripsit totum ad exemplar Vergili Aeneidos, cum in re metrica Ovidii potissimum exemplum sequeretur. Quod imperfectum neque a poeta perpolitum nobis traditum esse intellegitur optime ex permultis locis, ubi secum pugnat poeta aut sententiarum conexus plane deest. De ambitu denique carminis certum iudicium

ferre difficillimum est. Sine dubio materia, quae restabat, suppeditabat ad duos libros supplendos ita, ut decem libris Valerium res ab Argonautis gestas cecinisse statuamus. Fortasse autem et in numero librorum imitatus Vergili Aeneida materiam suam duodecim libris complexus est.

---



## Vita.

Ioannes Fridericus Peters natus sum die VIII. mensis Novembris anni h. s. LXIII Regimonti Boruss. patre Rudolpho, quem praematura morte ereptum valde lugeo, matre Adelheid e gente Faber. Fidem profiteor evangelicam. Inde a vere a. LXX frequentavi gymnasium Kniphovianum usque ad a. LXXVIII, quo tempore cum pater sedem Berolinum transtulisset, gymnasium huius urbis Ascanium adii, quod etiamnunc auspiciis Woldemari Ribbeckii floret. Ibi maturitatis testimonium autumnno a. LXXXIV assecutus in Universitatem Fridericam Guilelmam Berol. me contuli, ut inirem studia philologica. Sed iam post unum semestre Regimontum reversus vere a. LXXXV inter cives academicos almae litterarum Universitatis Albertinae receptus per quinquennium studiis philologicis operam dedi. Sodalis fui proseminarii regii per III semestria per idemque tempus seminarii regii. Per quique semestria interfui exercitationibus archaeologicis a viro ill. *G. Hirschfeld* institutis.

Audivi viros inlustrissimos:

*Curtius, Diels, Friedländer, Hahn, Hirschfeld, Jeep, Jordan (+), Kirchhoff, Ludwich, Robert, Ruchl, Schoene, Thiele, Vahlen.*

Quibus omnibus studiorum meorum adiutoribus fautoribusque maximas gratias ago semperque agam.

Examen, quod vocant, rigorosum absolvi die XVII. mensis Decembris prioris anni.